4° = 9840

Google

FCC
753

Proibito
~~136_6~~
~~138_8~~ ~~42116~~

Digitized by Google

753 24 CR6

PACIFICVM CERTAMEN

SEV

IN R. P. IVLII NIGRONI GENVENSIS


Societatis Ieſu Præsbyteri opuſculum Poſthumum.

CONTINENS DISPVTATIONEM

de S. Ignatio Loyola, & de B. Caietano, illo Societa-tis, hoc Clericorum Regularium Fũdatore.

ANIMADVERSIONES.

Io: Baptiſtæ Caſtaldi Neapolitani Clerici Regularis:



MESSANÆ:

Typis Reu. Cameræ Archiep. Apud Io: Franciſcum Biancum, 1635.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

De mandato Perilluſtris, & Reuerendiſſimi Domini D. Ioſeph Stagno Canonici Protometropolitanæ Meſſanenſis Eccleſiæ, eiuſdemque G. V. Pacificum Certamen, ſeu Io: Baptiſtæ Caſtaldi Nobiliſſimæ Clericorum Regularium Familiæ Alumni elaboratas nimis Animaduerſiones perlegi, quæ nec fidei aduerſantur dogmatibus, nec bonis repugnant moribus. Meſſanæ die 13. Iunij 1635.

Vincentius Riccius Abbas Monaſterij S. Nicolai S.T.D. & Protonotarius Apoſt.

Imprimatur
D. Ioſeph Stagnus Vic. Gen.

Imprimatur
Franciſcus Cauatore pro Ill. Præſid. de Blaſchis.

a 2

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA FILOSOFIA Y LETRAS

S. BARTHOLOMEI IN PORTA CAPUANA

Digitized by Google

Adeſto vnus Deus Omnipotens Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.

SVppliciter te deprecor Deus meus, vt abundantia pietatis tuæ; munuſculum, quod ego indignus famulus tuus tibi offero, benignus intendas. Reſpice quæſumus, de Sanctuario tuo, & de excelſo Cælorum habitaculo, & ſeruitutis meæ pium officium ne deſpicias. Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum. Non confundar, quoniam ad te confugi. Sub vmbra alarum tuarum protege me à contradictione linguarum. Exurge Domine adiuua me, & libera me propter nomen tuum. Amen.

SIT TIBI SANCTA DEI MATER LAVS.

MARIA Mater, & Virgo. Apud diuinam clementiam ſit per te excuſabile, quod per te ingero; & quod Deo noſtro latus obruli; tuis ſuffragantibus meritis fiat munus acceptum. Amen.

Digitized by Google

Digitized by Google

Tu autem
ò homo Dei
certa
bonũ certamen
P.ª Tim. VI.

EX commiſſione Adm. R. P. D. Matthæi Sanctomango Præpoſiti Generalis Clericorum Regularium Nos infraſcripti recognouimus Librum cui titulus eſt Animaduerſiones R.P. Ioannis Baptiſtæ Caſtaldi Neapolitani Clerici Regularis in hiſtoricam diſputationem R. P. Iulij Nigroni Societatis Ieſu de Congreſſu S. Ignatij Loyolæ cum B. Caietano Thienæo, nihilq; in eo repetimus quod bonos mores, aut fidem orthodoxam offendat; quare dignum iudicamus, vt typis mandetur. Datum Neapoli in Domo noſtra S. Mariæ Aduocatæ, die 14. Ianuarij 1635.

D. Iacobus Dentice Clericus Regularis Sacræ Theologiæ profeſſor.

D. Bernardus Saracenus Clericus Regularis Sacræ Theologiæ profeſſor.

D. MATTHÆVS SANCTOMANGO
Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium.

HOc opus cui Inſcriptio Animaduerſiones Patris D. Io: Baptiſtæ Caſtaldi Neapolitani Clerici Regularis S. T. D. in hiſtoricam diſputationem Patris Iulij Nigroni Societatis Ieſu de congreſſu Sancti Ignatij Loyolæ cum Beato Caietano Thienæo à nonnullis Theologis noſtræ Congregationis noſtra auctoritate recognitum, & approbatum. Vt typis mandetur (modo ijs ad quos ſpectat videbitur) facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, & ſolito Sigillo Congregationis munitas damus. Neapoli in Ædibus noſtris S. Pauli Maioris 17. Ianuarij 1635.

D. Matthæus Sanctomango Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium.

Locus Sigilli.

D. Franciſcus Barilius Secretarius.

PACIFICVM CERTAMEN
SEV
IN R. P. IVLII NIGRONI HISTORICAM DISPVTATIONEM ANIMADVERSIONES.

PRAEFATIO.

Nihil homines mirari debent, ſi religioſi viri, quibus cor vnum eſt, & anima vna: qui Domino iugiter famulantur, cuius ſingulare eſt inſigne, Deum pacis, & dilectionis vocitari: aliquando calamis ad inuicem pacificè dimicent. Hoc namque miro modo, ad inſtructionem fidelium, ad noſtram, omniumq. doctrinam, præfiguratum ſcimus in myſtica Sanctorum quatuor animalium quadriga, quam nobilis Dei vates Ezechiel ipſo ſui dicendi initio deſcriptam propoſuit, quæ pennis, caſtrorum fragorē ſimilabant. *Audiebam* (hæc ille) *ſonum alarum, vt ſonus caſtrorum*. Omnium ſenſu biga hæc duplicata, iuſtas, Deoquè charas animas prænotat: quod ſi quandoq. inter has iurgium in dimicanti opinatu apparet interpoſitum, non bellicoſus hic ſe immiſcet affectus: non cor huc aduolat pugnans, nec animus acumine ſtyli punctus, vindicabundus accedit. Calamus hic enſis eſt, Calamo hic decertatur: Certamen hic calamum dumtaxat, & non quoquo modo, ſed pro ſuo ſtantem papyro habet belligeratorem. Caſtra adumbramus tantum, non efformamus: dum hæc rumorem non habent, ſed ſonum, Ezzech. 1.24.

ac ſi quandoq. fragorem audis, eſto cordatus : fragor hic ad ruinam non tendit charitatis, dum fragor alarum, ac pennatũ, tueatur potius illam, quàm perdat, aut atterat. Vnde legis pennas has dimicantes iunctas, non diuiſas. *Iunctaq. erant pennæ eo-*
Ibid. *rum alterius ad alterum* : Cum idem prorſus animus perſiſtat cum vario ſenſu . Coniuncta voluntas diuerſam non tollit opinionem : omniaq; à nobis (licet cum aliquali diſcrimine) fiunt ſicut decet , & Sanctos Chriſti charitate concordes . Quod & Apoſtolis Sanctæ Eccleſiæ firmioribus columnis, magiſtris noſtris , & pleriſq: Apoſtolorum diſcipulis legitur contigiſſe: quid mirum ſi & nobis eorum aſſeclis !

Et quidem , nedum ſine charitatis læſione; verùm , & cum charitatis vſura, ipſa charitate, amoris igne flammante, quæ de
Vit. B. Sancto Ignatio in vita B. Patris mei Caietani, me tradidiſſe nar-
Caiet. c. raui, ipſa teſtetur narratio , ipſa in medium proſiliat, quam ne
7. in minimo quidem immutata credatur, ad verbum à Nigrono
Hiſt di- „ ex italico interpretatam, apponam. Hæc noua planta diuino
ſput. n. 1 „ fœcundata fauore, adeo ſuum odorem feliciter, & cum vni-
„ uerſali applauſu ſparſit; vt cum illum S. Ignatius Loiola Ve-
„ netijs anno 1536. olfeciſſet, plenus eo ſpiritu, qui eum coe-
„ gerat deſerere duplex terrenę militię periculũ; quò meliori
„ ſpe aliquem ordinẽ militiæ ſpiritualis, ac religioſæ arripe-
„ ret; conatus eſt eiuſmodi bono propius frui. Itaq. diebus ali
„ quot commoratus eſt in cænobio S. Nicolai Tolentinatis, ab
„ illis Patribus magna charitate tractatus. Poſtmodum cum ad
„ illum viuendi modũ impenſius eſſet affectus, petiuit à B. Ca-
„ ietano, vt ſe in ipſorum cætũ aggregaret, atq; habitu eiuſdẽ
„ Religionis indueret. Verùm noſter Beatus præuidẽs, atq; ex
„ nobili modo agendi S. Ignatij præſagiẽs copioſum fructum ,
„ quem producturus erat, reſpondit illi (quod in negotijs ar-
„ duis ſolitus erat) vt preces pro ea re Deo funderet ipſe; quẽ-
„ admodum etiam Patres erant ſupplicaturi; & poſt hæc ſuſci-
„ perẽt eã deliberationẽ, quæ à Domino demonſtrata fuiſſet.
„ Ita fecerunt : & aliquot diebus elapſis , Caietanus Ignatio
„ renunciauit, quòd Spiritus Sanctus, non illum quidem voca-
„ bat ad hanc Religionem , ſed quod ſeruitium Dei futurum
„ fuiſſet, vt ipſe aliam presbyterorum pariter: ſed actuoſiorem

fun-

Digitized by Google

fundaret. Quomodo prorſus contigit felicibus progreſſibus anno 1540. ſextodecimo poſt noſtram inſtitutam.

Hæc verba euangelizantis pacem, euãgelizantis bona comperiens, amico, ac pacifico ingreſſu Societatis non penetraſſe aures; quippequæ neſcio quo recipientium zelo pacis non fuere nuncia, ſed belli. Immutaruntadagium omnibus vſq; nunc inauditum. Non ex bello pax; ſed ex pace bellum legẽtes. Non multò poſt alterius fundatoris Pauli IV. ſũmi Pontificis ſanctiſſimi geſta componens; narrationis filum hoc renui, ac abnui hiſtoriæ illi contexere. Neque, qui inter S. Ignatium, & Sãctiſſimum Pontificem noſtrum interfuere ſermones typis dedi. Nullum tamen officioſa hæc modeſtia honorem habuit; nam Nigronus vltor in aduerſariũ ſe accinxit: in cõmentarijs aſceticis ad Societatis regulas, & caſſis indicijs mendacem etiam me ſubmurmurare non eſt veritus, meumq; officium, videlicet, quod Ignatij cum Carrafa congreſſum non recenſui contra me contorquet in iaculum: aſſerendo Ignatium nũquam cum Caietano colloquutum, cum id, & repugnauerit ſtatui, quẽ tunc profitebatur Sanctus ille; & tẽpus colloquij non poſſit aſſignari: verùm, & ſi non repugnaret: non Caietano, ſed cum Carrafa hæc religioſa declarare vota debuiſſet. Nihilominus ex mea ipſa narratione hanc veritatem potuiſſet, ſi ipſi non diſplicuiſſet, haurire: dum enim cum ſuis diuinum exploraturus numen ſeſe Caietanus obtulerit; procul dubio Carrafam inter Patres primarium, Ignatij pius hic congreſſus latere non potuit.

Nec contra vnum fuit Nigronus: acceſſit & Franciſcus Sacchinus. Per epiſtolam ad perilluſtrem Comitem Marcum Thienæum à Nigrono me defendi: Sacchinum autem, etiam ſi cõtra meam hanc reſpõſionem inſurrexerit, non curaui; cupidus iurgia, & contentiones ſepelire; illud intẽdens, quia nouiſſimi fuere in ſcriptione, ipſorum ſcriptionem fore nouiſſimam: imò & in Romana Curia, & apud locorum ordinarios in actis canonizationis B. P. Caietani hoc ipſum in medium non adduxi; gloriã B. P. mei Caietani in eo reponens: venerabiles mihi patres non contriſtari: Hoc ipſe B. è cælo fecit: vt ſicut cum eorum parente uiuẽs charitatis exercuit munia, ac ſuo prophetico ſpiritu, quæ adhuc arcana latebant; diuina luce refuſus, de futura

prole annunciauerat: ipſius ſcilicet, & copioſum, & fructuoſũ carum. Ita nunc mortuus; alumnos cõtriſtari (licet in ipſa veritate) non permiſit: ſed quid? en iterato aggrediuntur ſilentẽ; occupant, quem occaſio illatæ litis nõ occupat: inuadunt, quẽ maſtix ſatyrica, licet inuaſerit, nõ concitauit: Et defuncto Nigrono, Nigroni vocabulo libellũ à mortis tenebris nouiſſimè ediderunt in lucem Patres Societatis, Societatis foedera, & pacis terminos ſupergreſſi. Et vtinam in me tantum Nigronus lãſiſſet, haud certè quererer, etiam ſi me dixiſſet mendaciorum textrinam contexiſſe: ac ſatis mihi fuiſſet veritatem, quo potuiſſem modò, cunctis aperire. Verum videtur ille Religioni noſtræ perdendæ quantus quantus eſt incũbere: Eo præſertim tẽpore quo à me Societas laudatur: atque eius inſtitutum cognitum à B P. meo Caietano futurum valdè proficuum adhuc pẽdente hominum iudicio protuli. Ille è contra noſtram Religionem facit S. Ignatij iudicio non valentem vltra progredi; inſtituto non mutato: quam tamẽ elapſo iam centenario in Eccleſia Dei (inſtituto nõ mutato) plurimũ profeciſſe norũt omnes. Quæ in proximorũ ſalutẽ ab ipſo ſui exordio noſtra Cõgregatio peregit vtiliter illi denegat confidenter, actuoſamq. fateri non vult, quam Pontificum Conſtitutiones, & Decreta actuoſã inſtituunt, confirmantq. Eiuſdem eximiam Paupertatem Apoſtolorum ſimillimam nimis extenuat, ac infra eam, quæ in Societate eſt, collocat: & nihilominus Orbis vniuerſi cõſenſus pro nobis eſt: qui, nec ipſi etiam Societatis profeſſores vellent cõtraire, ſi fortè inter nos eſſent ſubſtantiæ cõmutandæ. Clericorum, & Monachorum ſanctiſſimis legibus mixti inſtituti fulgorem, quo cunctis admirantibus, mira varietate omnium prima noſtra prelucet Familia, obumbrare contendit. Priſcos noſtros Patres doctrinis multicipliter ornatiſſimos vnius ſolius humana non admodum, ſed diuina nimium ſapientia exculti, morũq. ſanctimonia ſpectatiſſimi, exceptione denigrare præſumit: dicente Apoſtolo. *Nunquid omnes doctores? nunquid omnes*
1.Cor. 12. *linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?* Euolauit igitur in mediũ rurſus Nigronus aliquot ab hinc annis mortuus, & ſcripto acri incautarũ mentium aulas iterũ apparuit intromiſſus. Concitata contra perſentij calamorum caſtra. Nec hinc

ſtupor

ſtupor:ad mortuum Nigronem ſuſtollendum vnum ſtatuere calamum fas non erat;pennas iunxerũt alterius ad alterum. Colligarunt plures:coaptarunt in alas obſtrepẽtes. Meo accinctus calamo in arenam deſcendo. Hoc ſperans quod veritatis ſolus licet calamus pennarum ſtructas falanges dirimet. Veritatis ſol diſſoluet. Talem colligationem male puto conſtare ante lucem. Aſpiciunt autem lucem nouiſſimè diebus iſtis hæ Animaduerſiones,in quibus noſtrornm diuturnum deſiderium explere cogor, vel inuitus, vix è graui,eaq. vehementi ægritudine confirmatus. Equidem nihil reſpondendum putabam : nam & ſi *ſapientibus, & inſipientibus, debitores ſumus* (vt ait Apoſtolus) de horũ iudicio,& æſtimatione nihil curare debemus. *Rom. 1. nu. 15.* Illi verò quia ſapientes ſunt,quæ multa in paruo opuſculo inaniter obuoluuntur,quanti facienda ſint bene norunt: Verumtamen creberrimis inſtantijs undiq. ad me conuolantibus excitatus, ab ijs potiſſimum, qui præ cæteris Sancto Zelo ducuntur, nunc demum, quæ paraueram prodo: ſupplici-ter Lectorem etiam, atq. etiam rogans,út animum in primis meum in uenerabilem Sancti Ignatij Societatem propenſum aſpiciat, & multipliciter pluries laceſſito benignus ignoſcat.

Digitized by Google

DICTORVM A NIGRONO pugnantium, & ſibi contradicentium.

MEMORIALE.

ANIMADVERSIO I.

VT autem ab ipſo dicendi exordio compertum ſit omnibus, cuius authoritatis, cuiuſue fidei ſit libellus, cui poſthumi nomen dederunt; ſed melius ſi prudentum iudicio, tamquam
Iob. 3. abortiuum; abſconditum, nō ſubſiſteret; vel qui concepti non viderunt lumen. Diſſona, & quæ ſibi inuicem aduerſantur, quibus copioſus planè, & locuples eſt, in medium prodeant; & ſint ſapientibus viris monumenta, & poſteris noſtris sēper, quibus ſubſidiis fultus decertet Nigronus: non enim ornamēta verborum, lenocinia, atq. fuci, fidem aſtruunt, ſed vis præpotens ve-
De Orat ritatis. Vndè eſt illud à Romanæ eloquentiæ parente egregiè
104. cit. commendatum: *Nec ornatius cauſam ſuam dici voluit, quā ſim-*
a Niz. *plex ratio veritatis ferebat: Maior namq;* (vt mirè S. Amb. fatur)
De Abr- *ambitioſo eloquentia mendacio, ſimplex veritatis fides.* Sine hæſita-
abā Pat. tione vtitur *a* Nigronus argumentatione à poſſibili ad actū, *b*
lib. 1. c. 2 quam tamen omnino damnat, quia illa me vti credit.
a §. 31. Me pungit, *c* ac ſi logices, neq. limites attigerim; & nihilo-
nu. 108. minus logices ipſe immemor præceptorum; *d* non cauſam pro
circa fi. cauſa adducit: Religioſus quippe habitus peti à quocūq; poteſt:
b §. 8. n. & Sanctitas Caietani ſufficere facile potuit Ignatio, vt ſuum
24. 25. illi aperiret ſecretum. A parte *e* argumentatur ad totū: & rur-
c ib. n. 25 ſus ab eo quod eſſe poteſt ad id quod neceſſario futurū ponit.
d §. 7. n. *Quoniam* (inquit) *charitas fidelium in aliqua ciuitate aut regione:*
22. *ob terræ ſterilitatem ac penuriam rerum victus neceſſariarum re-*
e §. 20 *frigeſcere poteſt.* A diſparato, *f* neq. neceſſario antecedente, cu-
nu. 77. iuſmodi ſunt Natalitiæ Epiphaniorum, atq. Cineralium ſo-
f §. 9. n. lemnitates, deducere nititur, Ignatium, & Caietanum Venetijs
27 §. 73 collocutos nūquā. Quia vſq. ad Gallias, & Hiſpanias, *g* vbi de-
nu. 43. guerat Ignatius, fama ſanctitatis Caietani non peruenerat; hāc
g Syn. n. Venetijs, vbi Caietani nomen erat celeberrimum, olfacere nō
24.

potuit

Digitized by Google

potuit Ignatius.

A Spiritu Sancto ad noſtram Religionem quia dixerat Caietanus non vocatum Ignatium, *b* à Diabolico Spiritu, vel humano, fallaci inductione, progreſſam petitionem infert, quam etiam ab eodem Sancto Spiritu proceſſiſſe ſentiunt omnes.

Facta nõ præſumi niſi probentur, aſſerit ex Iaſone, *i* qui loco ab eo citato, hoc literis cõſignaſſe K non reperitur.

Legem de damno infecto adulteratam adducit. *l Damnum infectum eſt*, inquit, *quod nondum factũ eſt ſed futurum veremur: Quia fieri poteſt.* " *Quia fieri poteſt*, apponit de ſuo Nigronus.

Ea verò ſic adulterata, id quod expugnare nititur, valdè corroborat, ijs potiſſimum armis, quibus ad deſtruendum vti credit. *m* Vis argumentationis Nigroni ea eſt, vt deducat ad incõuenieus, ex potentia, quæ anceps eſt, ad eſſe, & non eſſe, inferri determinatum eſſe. *n* Damnum infectum determinatũ à determinata cauſa veremur, " *quia fieri poteſt*, quod additur, cauſam connotat ad eſſe, & non eſſe, ancipitẽ, non ad determinatũ eſſe: ergo à cauſa ancipiti ad eſſe, & non eſſe, ſequeretur neceſſario damnum infectum, quod habet determinatum eſſe, ergo nõ me carpere poteſt, etiam ſi dixiſſem, iuit, quia potuit; ergo quod expugnare præſumit fortius firmat.

Contrarium omninò probat lex, *o* quæ non excuſat, quem Nigronus hac lege ſuffultus à multis, quamuis non à ſingulis, excuſari credit.

Vt ſolitudinem nobis imponat *p* noſtros à principio cõfeſſiones non auſcultaſſe, Ribad. teſtimonio, firmat. Vt Caietanum feſtiuis diebus Venetias non profectum probet, *q* confeſſiones auſcultaſſe affirmat.

Rationẽ à perſecutionibus ductam reſpuit, *r* quia niſi Societas eſſe deſijſſet perſecutiones non deſtitiſſent: imo duorũ ordinũ facta coniunctione magis creuiſſent aucto numero domiciliorum: *ſ* At paucis interiectis: *Paulus*, inquit, *volebat Societatẽ in ordinẽ ſuũ transformare, & quod eſt grauius, ſic efficere de duobus corporibus vnum: vt ſocietatem in alterum ordinẽ introduceret, &c. t* cuius conſilio ea quæ decuit reuerẽtia, hac potiſſimũ ratione, Pater Lainez humiliter reſtitit, quia ſocietas nouã formã induens deſtrueretur, & deſineret eſſe illa cohors,

b §. 3 *n.* 11.
i Sy n. 3
K *Iaſo. per. a.*
l Sy. n. 5
m vbi ſu Syn. n. 5
n Tit. de dãno infec. l. eueniit non nũquã. D D. 2. *ff. de dãno infec.*
o l. Spadonẽ §. qui iura de excuſ. tutor.
p §. 18. *nu.* 69.
q Sy. n. 6
r §. 18. *nu.* 70.
ſ ibi. Paulo inf.
t ibi Paulo poſt.

quæ fuerat,&c. ergo rationem à perſecutionibus deductam
u §. 12. nolens admittit:quæ vtique deſtitiſſent quandoquidem *Socie*-
nu. 39. tas deſiuiſſet.
x l inci- Mendacem me arguit, *u* & infidelem in atteſtando, quia
uil. ff. de ipſe negligens totũ caput diſcurrere noluit: malus iudex *x* qui
legibus. non tota lege perſpecta diiudicat.
y Sy. n. 3 Mihi obiectat *y* nullam afferri à me ſolidam probationem
z §. 9. n. niſi coniecturam,& opinationem meam, *z* qui iugiter conie-
27 §. 13 cturis inſiſtit,& opinationibus ſuis.
n 42. 43 A me *a* probationes requirit,*b* cum ad ipſum, munus pro-
a Sy. n. 3 bandi translatum ſit.
b l. 1. C. Fallaces adhibet *c* coniecturas *d* qui demonſtratiue probare
de prob. tenetur.
c §. 33. Falſò credit,*e* Carrafa mandante, Neapolim profectum Ca-
42. 43 f ietanum,cui *f* à Capitulo generali illa profectio iniuncta fuit.
15. n. 48 Caietanum *g* Fundatorem negat,quem Pontifices *h* FVN-
§. 23. n. DATOREM appellant.
86. 87. S.Ignatium *i* nemini vult ſubeſſe," qui omnibus ſubeſſe volu
d l. neq. it. Nimis ſollicitum,*l* hominum patrocinia perquirentem, *m*
natural qui ſolius Dei protectioni fidebat.
C. de Domos *n* habitationis inquirere, *o* qui è mendicata ſtipe
prob. viuere, & noctu in publico S. Marci Porticu iacere conſue-
e §. 10. uerat.
nu. 33. Vt me vrgeat, *p* cauſam S.Patris,& accuſationes nimis inuo
f acta. c. lutas facit, *q* quas aliàs, & leues, & nullius momenti fatetur
gen. ſic: *Iudex nullas videns ſolidas accuſationes(quia nemo accuſabat*
g §. 10. *nominatim)ſed rumores inanes, ſine probatione ſparſos; negligebat*
n. 29. 30 *ferre ſententiam minimè a ſe neceſſariam exiſtimatam.*
31. Vt numerum augeat *r* rationum,quo minus poſſibilis peti-
h Bull. tio credatur Ignatij: ſimultatibus vim tribuit argumenti.*Poſi*-
B Mar. *ta ſimultate aliqua cũ Io. Petro Carrafa, nec Ignatius petiturus vi*-
Rom. *debatur, nec ille admiſſurus.* *ſ* Non multo poſt, vt ictũ declinet,
i §. 17. Caietanum,non autem Carrafam,adijſſe Ignatium,quia ſimul-
nu. 62. tates inter eos:hæc habet *Vnde habes ſimultates ortas, antequam*
" Bull. *cogitatio de amplectẽda noua illa Religione, ſubiret animũ Ignatij.*
canon. Ignatio ſocios non ſemel,ex Orl.prædicat obſequẽtes *t* Pri-
l §. 15. mò: *Ignatium venerabantur omnes, & agnoſcebant, vt Patrem*
nu. 48. *u* iterum

u iterum: *Annuerunt ergo ſanctiſſ. Ignatij votis ad vnum omnes polliciti, ſe illum vltro quocunq; pergeret ſecuturos.* Eoſdem tamen ſi ad intrādū nouā Religionē inuitaſſet ab omni prorſus obſeruantia illico receſſuros. Hæc de ſuo ponit. *x Quia nullum ius ciuile, aut canonicū habebat in illos haud ſperare poterat ſe illos in ſuam ſententiam tracturum. Nemo promittere poteſt pro facto alieno, vt iura clamant non vno loco: liberi erant, & ſuæ ſpontis.*

Similiter; ſi nobiſcū aſſociare ſe voluiſſe profiteatur Ignatiū, *y* illicò Reuelationē de cōdēda Religione obijcit Nigronus: *z* At ſi Ieroſolimā proficiſcitur, ibi māſurus quoad uita ſuppeteret, nihil prorſus accepta officit reuelatio: Neq; etiam *a* ſi diu perplexus, quid à ſe exigat Deus ignorare fateatur. *b* Mihi uitio adſcribit; quaſi quod ex una Romani itineris apparitione, quā Ignatius aperuit Socijs, alias aperuiſſe probē, *c* cū ego ex hac. quia bone utiq; ſuæ Religioni erat patefacta, cæteras, quas proficuas etiā Societati inſpiciebat reuelare cōſueuiſſe ſolūmodo dignoſci propoſuerin: Neq; ex illa hoc ego adæquate innui: ſed multas, *d* & quas ipſemet enumerat reuelatas ſupponens, unicā illā in ſignū ſagacitatis Ignatij, qui reuelare quādo oportebat, reticere quando expediebat conſueuerat, in mediū adduxi. Attamen, in quo fruſtrà me reprehenderat uerius, ſtatimq; incidēs ipſe, *e* licet ſciuerit, dixitq; quod una hirundo non facit Ver: ex una tamen de Cuſtode Archangelo non aperta, meam propoſitionem fregiſſe gloriatur.

Fundamenta ſpiritualis vitæ in totum euertit, *f* indignū exiſtimans è Magiſtro fieri diſcipulū: cum tamen ipſe in hac ſua Opella *g* exemplum adducat S. Malachiæ Epiſcopi, qui, teſte S. Bernar. *h* in eiuſdē vita à Deo edoctus, factusq; magiſter ab alio magiſtro ſpūali edoceri volebat: è magiſtro factus diſcipulus.

Traditio Congreſſus S. IGNATII, ET B. CAIETANI euidenti probatione aſtruitur.

In Syn. nu. 2. 3. 4. 5. & ſequen. in Hiſt. diſp. §. 7. nu. 21. 22. §. 8. nu. 24. 25. §. 10. nu. 29. 30 35. §. 14. nu. 45. §. 16. nu. 59.

ANIMADVERSIO II.

ILlud in primis maximoperè obſeruandum eſt, non fabellam, non nouum, nec à maioribus noſtris ignoratum, quod de S. Ignatio retuli in uita B. Caietani; quod ſcilicet Sanctus vir in

m Rib. in vi. S. Ign. l. 1. c. 10.
n §. 15. n. 42.
o Rib. vbi ſup.
p §. 13. n. 49.
q paulo poſt ibid.
r §. 7. n. 22.
ſ §. 10. nu. 35.
t Orl. l. 20. n 59 Nig. §. 21 n. 80.
u Orl. l. 1. n. 89. Nig. §. 24. n. 19
x §. 23. nu. 86.
y §. 7. n. 22.
z Rib. l. 1. c. 11.
a Maff. l. 1. c. 16 Rib. l. 1. c. 3.
b §. 35. n. 117.
c §. 35. n. 116.

B noſtram

d §. 32. noſtrã *Religionẽ* admitti poſtulauerit: quod adeo verũ eſt, atq;
n. 111. ex antiquiſſima traditione apud noſtrates firmum, vt quinqua-
e §. 35. genario maior in religioſo habitu arctiſſimo iure iurando affir-
n. 117. mare poſſim, hanc veritatem cum religionis me lacte ſuxiſſe.
f §. 7. *n.* Accedunt teſtimonia virorum è noſtra Familia, quæ tunc tẽ-
22. poris accepi literis commendata, quò vitam B. Patris Florẽtiæ
g §. 36. ſcribebam, modò verò in noſtro S. Pauli archiuo Neapoli aſſer-
nu. 119. uantur, Thomę Bargoni Ianuenſis venerabilis ſenis eximiæ pau-
h Serm. pertatis, & abſtinentia celebris, quem magni Principes magni-
in tran- faciebant, viriq; probitatem venerabantur: isq; ex relatione
ſitu S. quamplurium ſeniorum ſibi facta cum Pataui] moraretur: Ber-
Malach nardi Superantij Veneti, qui fermè octogenarius nõ vno in Re-
ligione regimine obito, diẽ ſuũ clauſit. Benedicti Manẽtis itidẽ
Veneti, & octogenarij, qui, & Capitulis generalibus non ſemel
interfuit, & Religionis miniſteria honorificè exercuit, & tandẽ
diuturna annorum ægritudine probatus, & mira patientia co-
ronatus deceſſit. Leonis Caſalis Ariminenſis, qui Venetijs, atq;
Patauij ad ſummam ſenectutem ſemper deguit, vel Præpoſitus,
vel Vocalis ad generalia Capitula celebranda iugiter electus:
& poſt Io. Antonium Pratum Mediolanenſem totius Religionis
Hiſt. Cl. pluribus annis Decanus. Io. Antonij modo memorati contem-
reg. c. 9. poranei B. P. Caietani, cuius egregiè, & copioſe meminit Epiſc.
Annot. Acerrarum: Marci Palaſcandoli, quem Baronius virum ſingula-
ad mart ri eruditione, & vitæ integritate ſpectatiſſimum appellat.
Ro. 29. Et ne vllo vnquam tempore detur ambigendi locus, & veri-
Iulij. tas magis, ac magis cunctis pateſcat, extant præterea in eodem
S. Pauli archiuo aliquot ſacrorum Antiſtitum pręclara teſtimo-
nia, Pontificio iureiurãdo firmata, qui è noſtra religioſa Fami-
lia, plurimis in ea ſanctimonia, doctrina, atq; prudentia exactis
annis, ad Epiſcopalem apicem ſunt aſſumpti. Hæc autem, vt ti-
bi ſint in proſpectu, fideliter hic appono, quibus addere viſum
eſt maximè inſigne, atq; illuſtre Antonij de Ruſtica Patauini, vt-
potè ab ijs ſibi traditum, qui cũ B. Caietano egerunt, qui om-
nes, vt omnibus veritas innoteſcat, zelo veritatis, & noſtrę Re-
ligionis amore conciti, vnanimiter teſtimonium reddunt tra-
ditionis, quæ à primis Patribus ad hæc vſq; tempora incorrup-
ta, perlata eſt à generatione in generationem.

Am-

Digitized by Google

Ampliſſimi Præſulis
D. D. IO: ANTONII ANGRISANI
Archiepiſcopi Surrentini

TESTIFICATIO.

AD futuram rei memoriam, firmiter, & ſine controuerſia, etiam medio iuramento, tam in iudicio, quam extra, quatenus opus ſit; Nos D. I. A. Angriſanus Archiepiſcopus Surrentinus teſtimonium perhibemus, plenamq; & indubitatam facimus fidem; 57. elapſum iam Annum, quo in Domo S. Pauli Neapoli Anno 1575. Patrum Clericorum Regularium venerabilis Religionis habitum ſuſcepimus, atq; in ipſa ad Annum vſq; 1615. diuina largiente gratia, viximus, quo à fel. recordationis Paulo V. Surrentinæ Eccleſiæ præfecti fuimus. Dumq; in eadem Religione conſtitimus, regiminum, concionum, atque cathredarum ſtudio diuerſis eiuſdem Religionis in locis commorari cõtigit, nempè, Romæ, Mediolani, Venetijs, Genuæ, Bononiæ, & viſitationum gratia vbicumq; noſtratum ſunt domicilia, regiones luſtrauimus vniuerſas, atq; eo iam memorato anno cum Generalis Præpoſiti munere fungeremur facultate à nobis facta Pater D. Io: Baptiſta Caſtaldus eiuſdem Religionis Sacerdos, & Theologus, ingenti omnium ſatisfactione, eorum præcipuè Patrum, qui nobis mãdantibus eam percurrere, & approbare curauerunt, Noſtri Fundatoris B. P. Caietani vitam typis dedit, Et quod in eadem vita de S. Ignatio Societatis fundatore narratur; voluiſſe ſcilicet, & poſtulaſſe ad noſtram admitti Religionem dum Venetias peregrinus appulit, vetuſta apud nos eſt traditio, quæ à primis Patribus B. P. Caietani contemperaneis ad nos vſq; peruenit, nec vnquam vllo tempore in dubium fuit, aut controuerſum, ſed ab omnibus creditum, & abſq; vlla hæſitatione narratum. Quod cum ſit verum teſtificatione noſtra roborare voluimus, quam propria manu ſubſcripſimus, noſtroque ſigillo ſignauimus. Neapoli 23. die Nouembris 1632.

D. I. A. Archiepiſcopus Surrentinus.

Locus Sigilli.

Ampliſſimi Præſulis
D. D. BASILII CACACII
Archiepiſcopi Epheſini.

TESTIFICATIO.

NOs D. Baſilius Cacacius Archiepiſcopus Epheſinus plenã, & indubitatam fidem facimus, tam in iudicio, quam extra, etiam iuramento, quatenus opus eſſet; 39. vel propemodum 40. pertranſiſſe iam annos, in quorum initio Clericorum Regularium habitum ſuſcepimus, & ex tunc à multis Patribus prædictæ Religionis audiuimus colloquium à diuo Ignatio Societatis Ieſu Inſtitutore cum B. Caietano prædictæ Religionis Fundatore Venetijs habitum, atq; in eius vita deſcriptum, & etiam fidem facimus audiuiſſe, atq; eodem modo compertum habuiſſe, Diuum Ignatium prædictæ Religionis habitum petijſſe,& præcipuè P. D. Athanaſium Capuanum nobis Religione ſeniorem ſæpius de hoc loquentem audiuimus, atque P. D. Innocentium Valentinum, & P. D. Gregorium Cardonem, quorum vterq; ipſum P. D. Athanaſium antiquitate præibant, qui ab antiquioribus audiuiſſe nobis dicebant, & poſtremò P. D. Innocentium Ralaſcandolum, qui Religionis habitum Anno 1562. ſuſcepit, 38. à Religione condita, quo tempore B. Ioannes Marinonius ſocius B. Caietani in domus ſuſceptione in hac fidiſſima Ciuitate Neapolis Præpoſiti munere fungebatur, qui D. Innocentius cum nos Conſtitutiones, quæ anno 1604. typis expreſſæ fuerunt ipſo dictante ſcriberemus; interea de veterum noſtrorum Patrum geſtis diſſerebat, præcipuè de prædicto colloquio, quod Diuus Ignatius cum B. Caietano Venetijs habuit, de quo veluti de re audita à primis Patribus noſtrorum Fundatorum ſocijs loquebatur, & quod ab ipſo percepimus ſæpiſſime cum alijs locuti ſumus, neq; apud quemquam vnquam dubitatum, aut controuerſum audiuimus; Quare in huius veritatis fidem, præſentem manu propria ſubſcripſimus, noſtroq; ſolito ſigillo muniuimus. Neapoli. tertia die Augusti 1631.

D. B. Cacacius Archiepiſcopus Epheſinus.

Locus Sigilli.

Am-

Ampliſſimi Præſulis
D. D. THOMÆ ANCORA
tunc Epiſcopi Motolenſis nunc Tranenſis Archiepiſcopi.

TESTIFICATIO.

NOs D. Thomas Ancora Epiſcopus Motolenſis, plenam, & indubitatam fidem facimus, tam in iudicio, quam extra, etiam cum iuramento, quatenus opus eſſet, qualiter 35. ab hinc annis Clericorum Regularium Religioni nomen dedi, atq; in ea ſemper à pluribus prædictæ Religionis Patribus accepi colloquium, quod habuit Venetijs S. Ignatius Societatis Ieſu Inſtitutor cum B. Caietano dictæ Religionis Clericorum Regularium Fundatore, in cuius vita fuſiùs enarratur, de quo præcipue loquentem audiui D. Gregorium Cardonem (dum P. D. Eliſæo Nardinio Præpoſito generali eſſet A ſecretis) virũ ſane ad noſtram Religionem ſpectantium peritiſſimum, cum in ea multo iam tempore Venetijs vota emiſerit, præter officium quod exercebat: Hoc etiam recordor habuiſſe à P. D. Laurentio Valente (Cardinalis Valentis patruo), qui dum Romæ in æde S. Sylueſtri ſtuderem, Conſultoris Officio fungebatur, Iudex, & in munerum adminiſtratione perfectus. De hoc deniq; dubium, aut controuerſiam fuiſſe non audiui, cum de eo ſemper omnes, ſine vlla dubitatione loquuti ſint; ſic in veritatis fidem præſentem propria manu ſubſcripſi, ac proprio ſigillo ſignaui. Neapoli. Nonis Maij. 1632.

D. T. Ancora Epiſcopus Motolenſis.

Franciſcus Mar a Valle Secretarius.

Locus Sigilli.

Ampliſſimi Præſulis
D. D. PAVLI PALVMBI
Epiſcopi Caſſanenſis.

TESTIFICATIO.

EGo D. Paulus Palumbus Clericus Regularis Caſſanenſis Epiſcopus Sacramento conteſtor, qualiter ab Anno 1588. quo ad Sacrum Religionis Clericorum Regularium habitum fui admiſſus, ad Annum vſq; 1613. quo ad Epiſcopalem dignitatem aſſumptus fui, ſemper pro certo affirmari audiui in quibuſcunq; Domibus ſum moratus, communi omnium ſeniorum Patrum traditione, P. Ignatium Loiolam, nunc in ſanctorum catalogum relatum, egiſſe cum P. D. Caietano Thienæo de ſuo in hac noſtra prædicta Religione ingreſſu; ſic dico, declaro, ac Sacramento conteſtor. Neapoli vndecimo Kalendas Auguſti. Domini Anno 1630.

D. P. Palumbus Caſſanenſis Epiſcopus affirmo vt ſupra.

Locus Sigilli.

Ampliſſimi Præſulis
D. D. IANVARII FILOMARINI
Epiſcopi Caluenſis.

TESTIFICATIO.

NOs D. Ianuarius Filomarinus Caluenſis Epiſcopus, plenam, ac indubitatam facimus fidem, tam in iudicio, quam extra, etiam cum iureiurando, quatenus opus eſſet, me ex quo in Clericorum Regularium Religionem ingreſſus ſum, 25. quippe præſens eſt annus, ſemper, & ex traditione accepi, & à pluribus audiui tractatum, qui inter S. Ignatium Societatis Ieſu Inſtitutorem fuit Venetijs, & B. Caietanum præfatæ Religionis Clericorum Regularium Fundatorem, hoc eſt, S. Ignatium noſtræ Religionis habitum à B. Caietano quęſiuiſſe, & de hoc ſæpè ſæpius ſum ego locutus, & alios etiam audiui loquentes, & nunquam aliquid dubium eſſe cognoui. Et in veritatis fidem hanc meam

manu

manu ſubſcripſi ſolito impreſſam ſigillo. Neapoli in noſtra conſueta habitationis domo, 29. Menſis Aprilis *1632*.

D. I. Filomarinus Caluenſis Epiſcopus.

D. Lucas Marullo Secretarius.

Locus ſigilli.

Ampliſſimi Præſulis
D. D. *THOMÆ CARA*CCIOLI
Cyrenenſis Epiſcopi.

*TESTIFICAT*IO.

NOs Thomas Caracciolus Ep ſcopus Cyreacs, cum in religione Clericorum regulariũ facta in ea profeſſione degerim ab anno *1615*. hic Neapoli, *R*omæ, Genuæ, Mediolani, Venetijs, Bononiæ, Florent æ, Panormi, ac alijs in locis, notum mihi, & compertum eſt ex veterum noſtrorũ Patrum traditione cognitæ probitatis ad hanc vſq. noſtram tẽpeſtatem tranſlàta, vera, & indubitata apud omnes retenta: Diuum Ignatium Loyolam *Ere*ctorem *S*ocietatis Ieſu, deuotionis Spiritu eiuſdem religionis Clericorum *R*egularium ductum, adamaſſe, & expetiſſe à *B.P.*Caietano Thienæo in eandem religionem ingredi, prout memoriæ traditum eſt in eiuſdem B.*C*aietani vita: Qua de re pluries ipſe alios alloquutus fui, & alij pleriq. mihi enarrauerunt vtpote rem communiter omnibus perſpicuam, & abſq. alia hæſitatione, & ambiguitate; & nũc fidem facio, & teſtimonium veritatis perhibere, ſi opus fuerit in iudicio, vel extra, etiam cum iuramento, non renuo. hancq. in fidem mea manu ſubſcripſi, mei ſigilli impreſſione ſuffultam. Neapoli die 28. menſis Iunij *1633*.

D. T. Caracciolus *E*piſcopus Cirenes.

Locus ſigilli.

Am-

Ampliſſimi Præſulis
D. D. CAIETANI COSSA
Archiepiſcopi Hydruntini.

TESTIFICATIO.

NOs *D.* Caietanus Coſſa, *D*ei, & *A*poſtolicæ Sedis gratia, Hydruntinus *Archiepiſcopus*, his noſtra manu firmatis, atq. noſtro ſigillo munitis, plenè teſtificamur, tam in iudicio, quàm extra, quatenus opus ſit, etiam cum iuramento, veritatē Traditionis, voluiſſe quippe Sanctum Ignatium Loyolam, antequam ſuam inſtituiſſet Societatem, in noſtra Clericorum regularium, humiliter (quod proprium Sanctorum eſt) coaptari. Quod admodum *R.P.D.* Io. Bap. Caſtaldus, noſtræ Religionis Sacerdos, apprimè eruditus, & rerum noſtrarum diligens, & veridicus indagator, ſatis luculenter in vita *B*.P. noſtri Caietani literis conſignauit. Quod à maioribus noſtris traditum fuit, & apud omnes ſine vlla dubitatione creditum. Sicut nobis innotuit ab anno *1599*. quo tempore religionis habitum ſuſcepimus, & diuerſis in locis, in quibus commorati ſumus affatim à noſtris Patribus affirmari audiuimus, qui à Senioribus, & iſti à priſcis, & contēporaneis *B.* P. *Caietani*, traditum acceperūt. In quorum fidem has præſentes damus. Neapoli in noſtræ habitationis palatio. Kalendis auguſt. *1635*.

D. *C*aietanus Coſſa Archiepiſcopus hydruntinus.

D. Io. Antonius de Velaſco Secretarius de mandato.

Locus Sigilli.

R. P. D. ANTONII DE VICODARZERE
de Ruſtica Patauini Cler. *R*eg. Sacerd. & S. T. D.

TESTIFICATIO.

QVod à ſenioribus noſtris accepi, ijsq. præſertim, qui vicini priſcorū Patrū tēporibus *B.*P. *Caietan*ū, & viderūt, & allocuti ſunt, nunc poſteritati literis conſignatum, tradere libet. Notum ſit igitur omnibus, atque perſpicuum, ad

quos

quos præſens hæc mea ſcriptura peruenerit, non ſemel à plurimis antiquioribus noſtris Patribus enarratum mihi, qui in Religione, Deo fauente 40. Annorum expleui iam numerũ; quod inter S. Ignatium Fundatorem Societatis Ieſu, & B. Caietanum noſtræ Religionis Fundatorem actum *V*enetiis in eiuſdẽ Beati vita legitur. Ij potiſſimum fuere, P.D. Leo Caſalis Ariminenſis, qui Præpoſ. Domus Sanctorum Apoſtolorum Simonis, & Iudæ Pataui me in Religionem admiſit. P.D. Bernardus Superantius venetus, qui mei adhuc ſecularis excipiebat cõfeſſiones. P.D. Lucas de Mannis à Vellore Brixienſis Diæceſis Sacerdos perfectioris vitæ ſanè ſpecimen, & exemplar; ab hoc antequã Religioſum habitum accepiſſem S. Ignatii poſtulatio innotuit. Sed in primis à R.P.D. Io. Antonio Prato Mediolanenſi, olim Venetiis B Patris nouitio; hic, 1594 anno meo genitore vita functo, è Placentia vbi Philoſophiæ operã nauabã, Patre D. Alexãdro Gargano Comite, Patauium venienti, & 1597. 98. & 99. in eadem Domo SS. Simonis, & Iudæ Patauij ſimul commorãti: pluries enarrabat, egiſſe olim Venetijs S. Ignatium cũ B. Caietano apud S. Nicolaum de Tolentino, eumq. rogaſſe, vt in ſuã reciperet Religionem: uerum hoc primum, ab eo accepit reſponſum, non hoc properè, ſed præuia oratione agendum eſſe, quod per aliquot dies faciendum monuit, ſeq. etiam facturum pollicitus eſt, quibus elapſis (qui ni memoria fallit fuerunt octo) iterum inſtante S. Ignatio protinus reſpondit Caietanus, à Spiritu Sancto uocari ad nouam aliam Religionẽ condendã.

Hoc pluries ab eodem P. D. Io. Antonio enunciatum audiui; nam cum de Sanctimonia Caietani ageretur, ſæpius in ipſius cella de iis, quæ primis tẽporibus acciderũt ſermocinabatur, & præcipuè de geſtis Caietani Fundatoris, cuius, quia, & nouitius, & cum eo vita diu communis fuit, eorũ, quæ geſſerat præ cæteris conſcius erat. Quare in gratiam veritatis, veriq; fidem, præſentem atteſtationẽ manu mea ſcripſi, & ſubſcripſi, tam in iudicio, & extra, cuilibet præſentandam, quatenus opus ſit, atq. iureiurando confirmo, ſic me Deus adiuuet, et ſancta Dei Euãgelia; Romæ. quinto idus Martij 1632.

D. A. de Vigodarzere de Ruſtica Patauinus C. *R.* Theologus, & Concionator.

C hinc

Hinc Nigroni commentitia euaneſcunt. Hinc tota cui innititur argumentatio ruit. Quod ſicut fieri potuit, vt iret, ita, vt non iret, quia iuit; Quod de Veneta excurſione non conſtat, nã conſtat. Quod ſola coniectura ducitur, nã neceſſaria conſequẽtia deducitur, Quæ omnia ipſa traditio probat; Nihil igitur profectionem deſtruit, quam traditio aſtruit, & firmum firimis ſuperimpoſitum plurima virtute ſubſiſtit. Dicam proinde quod S. Auguſtinus, Videte acumen, ſed vitreum, quaſi lucet vanitate, ſed frangitur veritate.

De ver. Apo. ſer. 15. circa medium

PROBANDI ALEAM SVBIRE NEGANTES debent concludentibus rationibus non autem leuibus coniecturis.

In Syn. num. 6. 78. in Hiſt. diſp. § 9. nu. 27. § 11. nu. 37. § 12. num. 39. § 13 nu. 43.

ANIMADVERSIO III.

QVæ ad meam eneruandam narrationem adducit Nigronus, ſe non verũ, ſed veri fucũ rimari declarant omnimodo. Qui enim veritatem in aliquo negotio inueſtigare cõtendit, ijs enixè inſiſtit, quæ ad veritatẽ indagandam conducunt potiſſimum. A iuris ciuilis omnium peritiſſimis, qui legum, & conſuetudinis ad reſpondendum, & ad cauendum probe inſtructi ſunt didicimus, haud inanibus coniecturis, ſed concludentibus rationibus aduerſarium inhibendum: Certè cum antiqua Patrum traditione iam probauerim, duos iſtos Beatos Venetijs collocutos, quæ non leuis probatio eſt, qua vel orthodoxæ fidei dogmata intemerata firmantur, onus probandi ad negantem transfertur, quoniam exceptionem negans probare tenetur, *a* iſq. non coniecturis, ſed concludenter in tota latitudine temporis probare debet. Ex eo namque quod illo anno Sanctus Ignatius erat Venetijs, & B. Caietanus Neapoli, non ſequitur concludenter probatum, ergo nunquam vllo anno ſimul fuerunt hi Beati; non enim probatur hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe, *b* & multo minus per ea, quæ amplificantur

a l. 1. C de prob. l. penul. § decere. ff ne quis eum qui in ius vocatus eſt.

tur inania impedimenta, Cineralium, Paſchatis Dominicæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes, & quæ his ſimilia longa oratione in ſynopſi, c & pluries in hiſtorica d concertatione repetuntur; Hæ quidem timidæ (vt ſapientiſſimi Salomonis, imò Sancti Spiritus verbis vtar e), & incertæ rationes reputantur, nec mirum, quin prudentum, ſapientumq; animum impleant: Probationes veræ ſunt, & conuincentes, quæ probant negatiuam coarctatam loco, & tempore; vt benè Bart. f Bald. g Alex, h & cæteri. DD. citati à Iulio Claro i vbi Baiar. *Hi omnes mouentur ex eo, quod negatiua naturaliter non poteſt probari, cum non cadat ſub ſenſu corporeo, k & propterea in illa probanda oportet, vt remoueatur actus à ſenſu, non autem ſenſus ab actu*. hoc eſt, vt probetur ſufficienter per teſtes, vel B. Caietanum Neapoli minimè diſceſiſſe omni tẽpore quo S. Ignatius Venetijs morabatur, ipſoſq; nequaquam potuiſſe latere, ſi profectò migraſſet interdum; vel quod S. Ignatius Venetijs non petierit ingredi in Religionem B. Caietani, & quod, ſi petijſſet, ipſi teſtes ſenſu corporeo percepiſſent; Aliud his non datur effugium, et quæ plurima producuntur plenis folijs, vacua ſuo fine carere norunt omnes.

Quæ igitur multa coagmentauit Nigronus, tum in ſynopſi, tum iterato ſermone in hiſtorica diſputatione, hoc vnico fundamento exploduntur; Non eſſe demoſtratiua, quæ decent negantes verum, nimium credo honeſtentur, ſi ſic dicerem; quandoquidem, neq; probabiliter perſuadent. Quid venetæ profectioni obſtat B. Caietani prudentia gubernandi, zelus ipſius animarum, & diuini cultus obſeruantia, aduerſa, periculoſaq; nauigandi tempeſtas media hyeme?

Benè nouerat vir Sanctus, & prudens quando adeſſe, & abeſſe poterat, & qui ætate grandæuus Roma rediens Atellæ in itinere non quieuit. ſed ipſa Dominicæ Aſcenſionis nocte Neapolim excurrit, vt matutinis precibus in Odæo cum ſocijs intereſſet, Diuinis laudibus incumbendi nobis reliquit exemplum; non tamen, vt pro maiori Dei gloria quandoque abeſſe non debeamus, quod eum etiam effeciſſe non ignoramus, imò qui tanto ſtudio, atq; omni animi voluptate Sacris myſterijs frequens erat, & ſemper; ſi abeſſe contingeret grauem quidem cauſam, eamq; vehementem illum coegiſſe omnimodè credendum eſt; quare

C 2 Sac-

c vi exim. l. 1 illa ff. de verb. oblig. l. 2. C. de iur. & phi Ritiones.

d p. 1 in c. cũ cũla 9 cit. nu. 75. de ea poſſ. et prop.

b l. neque naturalis C. de pb. cn. 8. vſq; 18. incluſiue.

d §. 7. q. 13. 14.

e Sap. 9.

f fol. 1. §. hoc inter ff. de itinere actus priuato à te nu. 13.

g l. 1. n. 7. c. de bonorũ poſſeſ. ſm tabul.

h l. 1.

i prac. crĩ. § fin. q. 52. n. 4

k l. act. vbi DD. C. de prob.

Sva. n. 6.

Sacchino aſſentire non poſſum, qui nullam, vel leuem ad ſum-
Syn.n.7. mum extitiſſe putat. Quis coniecturas nunc adhibet, & opina-
tiones ſuas? Non metuebat Caietanus pericula tempeſtatum
maris, qui tumentes fluctus quondam mirabiliter conſedauit, nec
timuit pericula eximij caloris, qui Venetijs, Neapolim ſolo Pon-
tificis nutu æſtiuo tempore pertexit.

Quid quæſo intereſt Ochini concionibus præfinire diem? certè
Syn.n.8. quando ex mente Nigroni Ochinus cæpit, Caietanus Neapoli
§.9.n.27 adeſſe poterat, Venetijs iam reuerſus, quippe quem diximus ſub
§.8.n.27 finem ann. 35. vel principio 36. potuiſſe Venetijs cum Ignatio
& §.13. colloqui; verum quia tempus collocutionis præciſè ignoratur,
nu.41. ſi non fuit tunc Caietanus menſe Decembri è Romanis comitijs
rediens (quod Nigronus probat) Dominici Aduentus, & Natiuitatis aptiori tempore (nam Hæreticus annum integrum, & amplius concionatus fuit) obſeruare, & deprehendere eum affatim potuit; ſed eſto, quod ipſa ſolemni die Pentecoſtes exorſus fuerit Ochinus (quod tamen minimè concedendum, nec credendum eſſe arbitror, ſed ſtatim poſt octauas Reſurrectionis, nam quanto maioris famæ erat ille, tanto auidius audiebatur, & Diaboli miniſter nulla interpoſita mora, opus ſuum aggreſſus eſt; ſiquidem filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt, & dormientibus diſcipulis Iudas non dormiebat, ſed feſtinabat tradere Iudæis Chriſtum Dominum.) quis eſt qui neſciat, tribus, vel quatuor concionibus abſolutis, hæreticum à Caietano deprehendi potuiſſe? quare ad perſcrutanda falſa Ochini dogmata, non tam longa mora egemus, quantam deſideraſſet Nigronus, vt Caietani retardet itinera, quamuis Pentecoſtes eo anno inciderit in 4. diem Iunij, qua arbitratur Ochinum dediſſe principium, nam tribus concionibus abſolutis ſacro illo triduo; vndecima die Iunij Sanctiſſimæ Trinitati Sacra, quarta potuit eſſe concio; die 18. quæ fuit Dominica infra octauam Sanctiſſimi Sacramenti fuit quinta niſi fuerit ſexta, nam quinta feria feſto die Sanctiſſimi Sacramenti etiam de tanto myſterio prædicari ſolet poſt veſperas, quod maximè credendum eſt de Ochino, qui magni nominis concionator erat. His diebus non ſemel Neapoli profectus ſum, atq; terreſter, iter peregi Viſitator Galliæ Ciſalpinæ, Romæ ſubſiſti die feſto Natiui-

tatis

tatis S. Ioannis Baptiſtæ, poſt feſtum Apoſtolorum Petri, & Pauli trigeſima die Iunij Roma diſceſſi, 4. die Iulij perueni Florentiam, & die 28. Mediolanum, 16. die Augusti perrexi Taurinum; ergo cedendum eſt veritati nec talia ſubterfugia requirenda.

Adhuc ridiculum ſane eſt, quod aſſeritur, Caietanus quia ſenex iter habere non potuit, & quia addictus erat regimini Neapolitani Cœnobij, & præterea quia huius diſceſſus ſcriptores noſtri non meminerunt quaſi nos infirmi non fuerimus in hac parte, vt ſæpè conqueritur Caracciolus ſicut de ſua Seraphica Religione conqueſtus eſt Seraphicus Doctor S. Bonauentura, & Caietanus ſenex, & Præpoſitus Neapoli nunquam abfuerit. §. 11. nu. 37.

Vt luce meridiana clariora eluceſcant, quæ circa Caietani itinera obuoluuntur, narrabo fideliter quod accidit mihi Præpoſito Domus noſtræ Arimini, in quo ſi quid effingerem, vel mentirer, Patres noſtri Venetiarum, Romæ, & Neapolis, imo totius noſtræ Religionis falſitatis me coarguerent. Scias igitur Anno 1626. me Præpoſitum Arimini Domum illam præſentem gubernaſſe, & nihilominus æſtiuis caloribus Venetijs affui, menſeque Februarij 1627. Romam petij, menſe Martij Neapolim profectus ſum, ibiq; hebdomada Sancta perſtiti; poſt ſollemnitates Paſchales, Romæ Generali Capitulo interfui; eo abſoluto Neapolim iterum profectus ſum, & poſt aliquot dies denuò veni Romam, ſic poſcentibus grauiſſimis meæ Religionis negotijs, excurſis aliquot annis, ſi quis ex noſtris Monumentis edoctus me Præpoſitum Arimini, ignarus tot profectionum (non enim omnia notantur) vellet improbare, quod ex auditu aſſereretur me fuiſſe Venetijs, Romæ, Neapoli, non ne manu tangeres, & oculis cernis fallacem imò mendacem talem argumentationem? Nec vera ex dictis cernitur argumentatio; menſe Aprilis conuenturus eram cum cæteris patribus ad generale capitulum, ergo non eſt verum quod menſe Februarij Romam petierim: ad quid animaduertere tempus? Eram Præpoſitus Arimini, ergo Hebdomada Sancta non potui eſſe Neapoli? inanes proſus ſunt huiuſcemodi coniecturæ, & leues, quæ quolibet, vel tenui vento diſtrahuntur, & pereunt? Religioſos ſiquidem viros in gubernijs conſtitutos ibi degere, & conſiſtere oportet, vbi ſuæ Religionis opportuni- §. 13. nu. 42.

tuni-

tunitas, ſiue neceſſitas eos cogit, maximè ſi Religio non monarchicè, & ad vnius abſolutum imperium, ſed ariſtocraticè per optimates gubernetur, cuiuſmodi eſt noſtra cuius Præpoſitus generalis Ducis reipublicæ munere fungitur; & quando parua, Generalibus non eguit, tanto magis apud optimates, & primo tempore apud Fundatores præcipuè totius erat pondus regiminis.

TEMPORVM MOMENTA NON SVBTILITER expendenda, non enim officit quando res euenerit ignorari.

In Syn. num. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. *In Hiſt. diſp.* 13. *num.* 43. §. 15. *num.* 48.

ANIMADVERSIO IV.

NIhil prorſus officit hiſtoriæ veritati, eiuſq; fidei, ſi rei geſtæ ignoretur tempus, ideo cum ex traditione ſatis cõſtet cum Caietano Venetijs egiſſe Ignatium, vt noſtro Ordini aſcriberetur, id inficiari non poterit, ſi quo tempore, quo menſe, quo die euenerit, adhuc fatear ignorari: quinimo ſi illa voce (forſan) hoc ipſum exprimere libuit (planè non glorians dico) laudabilis ero, qui certa pro certis, & dubia pro dubijs (vt veracem hiſtoricum decet) enarrare debeo; hinc tamen non ſequitur, non verum Ignatij cum Caietano congreſſum, quia dubia eſt circumſtantia temporis: An ignoras, quod ab omnibus eſt receptum, *teſtis & ſi non deponat præcisè de tempore, bene probat* ſ Bart. *a* Alber. *b* Angelus, *c* Alex. *d* Gramat. *e* Archid. *f* Moncada, *g* Caccialup. *h* hinc inanem laborem omni iure exiſtimo in temporibus ſupputandis multum operæ, ſtudijq; ponere. Accedit ad hæc, quod qui temporum ſupputationibus nimium hæret, innumeras incurret difficultates, antequam Petrum Apoſtolorum Principem, peragratis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithiniæ regionibus, 25. annis in ſua Romana ſede collocet, & Iacobum Hiſpanias adijſſe ſtabiliat; Quare non immeritò Baronius diſertiſſimus Author in ſuis annalibus, quem ſequutus eſt ingenioſiſſimus Panigarola in Compendio, & argumenta ab authorita-

a L. Car-ſi bonian. §. *dies aut. n.* 8 *ff. de carb. ed.*
b D. l. n. 5
c Cõſ. 28. *num.* 4.
d Cõſ. 65. *n.* 3. *l.* 2.
Dec. 60
e 7. *et* 14

te no-

te negatiua improbat,& Pauli cum Petro cõgreſſum nulla temporum habita ſupputatione concedit.

Inſuper, cum certum ſit quod Sancti Amb. *a* Aug. *b* Max. *c* & alij Patres imò ipſa quoq. Sancta Mater Eccleſia *d* ratũ habent de congreſſu Sanctorum Sixti, & Laurentij, quando illum ad paſſionem properantem ſic affatus eſt iſte: *noli me derelinquere Pater Sancte, &c.* & ille; *non ego te deſero fili, &c.* cũ in aliquibus codicibus inueniatur Laurentius paſſus ſub Decio, alibi verò legatur Sixtum ſub Valeriano martyrium ſubijſſe: neganda erit propterea tota prædicta hiſtoria? an potius ſicut Eccleſia Sancta fecit diſcordes ad concordiam reuocare?

Idem dici poſſet de S. Catharina virgine, & martyre Alexãdrina, quam alij ſub *Maxentio*, alij ſub *Maximiano* martyrẽ *b* prædicant. & alia huiuſmodi.

Quia Marcus dixit hora tertia Chriſtum Dominũ fuiſſe Crucifixum, Ioannes verò hora ſexta, ergo Chriſtus nõ fuit Crucifixus? ergo cum hæreticis calumniantibus ſimul, & blaſphemantibus, diſſonantes dices Euangeliſtas? cur non ſatius cum Hieron. *a* Aug. *b* Euth. *c* & alijs conciliare curabis?

Probè Hieron. *d* inueſtigans quis ſit ille Zacharias filius Barachiæ: qui occiſus fuerat inter Templum, & Altare, quia patris in eo nomen non conſentiebat ad interpretationem confugiens concludit ſic. *Cum ergo, & Zachariam teneamus, & occiſionis conſentiat locus, quærimus quare Barachiæ dicatur filius, & non Iotadæ, Barachias lingua noſtra Benedictus Domini dicitur, & Sacerdotis Ioiadæ iuſtitia hebræo nomine demonſtratur*: Vir Sãctus, & prudens facti veritatem non reſpuit, quia Patris nomẽ non concordabat, ſed ab interpretatione haurire nititur, quod tegebatur a nomine.

Hæc quidem ſufficerent ad redarguendum Nigronum, & obſtruendum os illius, qui tempora molitur, & moras, verum ſingula, quæ vberius, & fuſius coaggmentauit; ſuo quoq. iaculo breuiter perimam infra, ne iterato ſermone bis iudicetur, ac puniatur idipſum.

f In C. ni
b Io. n. 4
g in a. l.
a d Gratiã in tra. de teſ n. 3. 24
b in l. ad monend. 66. ff. de iureiu.
a l. 1. offic. c. 41.
b tract. 25. in Io.
c hom. 15 de s. Lau
d in off. S. Lau. et s. Six.
Mar. 14
Ioan. 19
a n. P. 77
b t. 117 in Io. l. 3 de conſ. Euãg. c. 13. in q. nou. & uerit. teſ. q. 65. in pſ. 63.
c Ma. 15
d l. 4 cõ. in c. 23. Matth.
Anima. 18 a n. 8 vſq. ad 17. incl.

CAPTIOSVM DEMONSTRATVR COMMENTVM, à potentia deduci argumentum ad actum.

In Syn. num. 2. 3. 4. 5. in Hiſt. diſp *§. 8. num. 24. 25.*

ANIMADVERSIO V.

NOn mea hæc eſt argumentatio: Beatus Caietanus excurrere potuit Venetias, ergo excurrit. Et ſciat, quod diminutæ ſententiæ fidem non aſtruunt, imò deſtruunt, etiam ipſis in dialectica diſciplina tyronibus vitio aſcribitur, argumenta ex integro minime reddere: quare ergo, prætermiſſo antecedente, conſequẽs tantũmodo percenſit? Quare, quod ego poſui cõſequens, antecedens vſurpat? Series argumẽtationis meæ hæc eſt: quæ Nigronum non effugit, qui eam inferius enarrabit.

§. 12. nu *Caietanus, tẽporis cõpendio: plena incommodis itinera aggredi ſole-*
37. §. 13 *bat: vel animabus, vel ſui Ordinis bono profuturus: vt ibi probatum*
num. 41 *eſt potuit igitur, vel ſub finem Anni* 1535 *vel ſub initium 36. Venetias petere, &c.*

Addam non bene intellectam vim argumentationis meæ in hac propoſitione. Tradideram S. Ignatium, cum Venetijs moraretur Anno *36.* à Sancto noſtro Parẽte noſtræ Religionis habitũ petijſſe. Hanc collocutionem, & petitionem impoſſibilem arbitratus Nigronus: eius impoſſibilitatẽ aſtruere conatus eſt in ſua prima ſcriptione: pro qua etiam multa argumenta ex tẽporum ſupputatione contulit. Impoſſibile enim putabat excurriſſe Caietanũ Venẽtias, qui Neapoli iugiter eo tẽpore occupatus cenſebatur. Mihi ergo poſſibilitatẽ tantũmodo huius excurſionis tueri, & concludere opus erat: & hic ſolus propoſitus erat ſcopus, vt poſſibilitatẽ collocutionis oſtenderẽ; quod ſatis aperte profeſſus ſum. Do verba *Principio igitur probãdum*

§. 8. mea *erat, potuiſſe cũ Caietano Ignatiũ colloqui*: quin hoc ipsũ Nigro-
epiſtola. nũ non latuit: ait enim: *D. Io. Baptiſta Caſtaldus in epiſtola ſcri-*
in prin. *pta contra P. Iuliũ Nigronũ, vt aſtruat hos duos Beatos viros po-*
Syn. n. *tuiſſe inter ſe colloqui* Quid ergo infimus argumentandi modus de potentia ad actum toties obijcitur? an vt inſipientis vulgi

animus

animus facile decipiatur? Igitur temporum rationes obliquã metiẽtum linea Nigronum vbi comperi, & ſolutis ipſius argumentis: poſſibilitatem excurſionis faciliimè demõſtraui. Non ergo de potentia ad actum; ſed ex non repugnantia, & ex friuola ratione, quæ ad impoſſibilitatem profectionis probandam adducta fuerat, iam ſoluta, & confutata; ad poſſibilitatem argumentum ducitur: & quidem ſatis hic modus argumentandi apud illos, qui ſcholaſtica à limine ſalutarunt vſitatus eſt. ſic ex non repugnantia, & ſolutione oppoſitarum rationum, Verbi Incarnationem poſſibilem affirmamus; & multa alia huiuſmodi. Nec mirum, quia contra rei poſſibilitatem arguenti, non niſi rei poſſibilitatem aſtruere, ac tueri tenemur. Igitur, ſi ipſe dixerat non potuiſſe Caietanum ſub fine anni 1535. vel ſub initium 36. Venetias petere propter rationem à ſe adductam; tali ratione iam ſoluta, benè concluditur: potuit igitur Beatus Caietanus, &c.

TREDECIM IN QVÆ OFFENDIT Nigronus Caſtaldum impugnans. quem credidit è potentia argumentum traxiſſe ad actum.

In Syn. num. 3. 4. 5. *In Hiſt. diſp.* §. 5. *num.* 17. §. 8. *num.* 24. 25. §. 16. *num.* 53. §. 17. *num.* 61.

ANIMADVERSIO VI.

PRimum quidem, & mirum admodum eſt, Nigronum poſſibilitatem etiam nolentem, dum eam ſi miter negat, aſtruere, quod probo ſic. Dicit *poſſe facilius, ac veriſimilius excurſionẽ Venetam negari, quam affirmari*. Semper res, in qua fit comparatio in vtroq; extremo præſupponitur, licet in vno cum exceſſu in altero cum defectu; ſic, verbi gratia, rectè quis aſſereret quod intellectus Petri ſit perfectior, vel clarior, vel profundior intellectu Pauli, ex eo quod virtutem intellectiuam vterq; includit; At quis vnquam diceret quod perfectior ſit Pauli intellectus, quam equi, leonis, &c. cum huiuſmodi animalia virtutem intellectiuam neq; in gradu remiſſo admittant, & multo minus diceret *Synop. num.* 3.

 ali-

Digitized by Google

alius, quod clarior ſit Pauli intellectus, quam Hyrcocerui, ex eo quia Hyrcoceruus ne dum virtutem intellectiuam excludit, ſed etiam impoſſibilitatem, & implicantiam in rerum natura in ſuo conceptu dicit. Si ergo impoſſibile aſſerit excurſionis Venetæ affirmationem, quomodo faciliorem, & veriſimiliorem talis excurſionis negationem affirmat? Vero; affirmatio aliquantulam ſaltem admittit facilitatem, ſi aliquantulum facilis, ergo non omnino difficilis, & ſic multo minus impoſſibilis.

II. In bona logica ex præmiſſa modali de impoſſibili infertur concluſio pariter modalis de impoſſibili; quomodo nunc poſſe, ait, facilius, ac veriſimilius excurſionem Venetam negari, quam affirmari? Si fuit impoſſibilis talis congreſſus, id non poteſt concludi niſi per præmiſſas modales de impoſſibili.

Glos. in C. Cotin. Ecclesiæ diſ. 61. et in C. nemo pôt de reg. iur in 6. III. Impoſſibilitas prout ad actiones humanas refertur, à Doctoribus communiter triplex aſſignatur; Iuris, facti, & Naturæ; Nullo iure fuit (vt patet) congreſſus ille prohibitus; De facto fuit (quod traditio *a* probat;) Neq; rei naturæ (vt clarum eſt) repugnabat, ergo poſſibilis; ergo nulla ratione impoſſibile, voluntarie impoſſibile dicit.

a Animad. 2. *b* Synn. 3. IV. In quo me reprehendit, culpabilis eſt; etenim me accuſat *b*, quod nullam ego aſſeram ſolidam probationem, niſi coniecturas, & opinationem meam; Ipſe vero quid mihi toties obiicit, niſi coniecturas, & opinationes ſuas? ſi hoc, vitio mihi aſcribit, quare ſibi vſurpat, & frequentat? ſi mihi obeſſe credit, ſibi cur ſalutare? at illi vitandum qui negatiuam demonſtratiuè ſeclusis opinationibus, & coniecturis probare debet, quod non teneor facere ego.

Animad. 3. V. Idcirco dum mihi obiectat non probationes, ſed coniecturas, & opinationes me attuliſſe, ſuo ſe iudicio condemnat; coniectu ræ namq; & opinationes, ſecundum Iuriſtas, aliqualis probationis ſpecies ſunt.

Non produxi quidem, nec teſtimonia, nec traditiones, nec ſcripturas in prima, vel in ſecunda mea ſcriptione, quia in prima non diſceptationem proponere, ſed breuem, ac candidam hiſtoriam texere meditatus ſum; In 2. vero his opus non erat, quia infirmas contra veritatem rationes breui negotio ſoluturus im-

Digitized by Google

becillitati argumentorum nudam responſionem adhibendam eſſe exiſtimaui. Probatur tamen facta collocutio traditione, ex qua conſequenter ſequitur excurſio: nam nec aliquorum Sacramentorum inſtitutio, nec Matris Virginis in cælum Aſſumptio alias probãtur, quam traditionibus, & tamẽ firmiter præſumuntur.

VI. Iaſonem, quem citat in citato loco ſilere comperi, & tacens de illo conqueritur, quod eius induxit in teſtem, quod inibi dixit nunquam. Imò Legalis illa Regula in iure inuenitur nuſquam, hanc verò ex vtroque iure Regulam emanare exploratum eſt omnibus. Facta donec probentur præſumuntur: nã ſiuè loquamur de præſumptione iuris tantum, quæ admittit probationem in contrarium, ſiuè de præſumptione iuris, & de iure, quæ nullam in contrarium admittit probationem, ſemper factum præſumitur: Eſt namque factum, materia, circa quam verſatur præſumptio: Itaq. vel probationes deficiunt, & Ius, præſumptione iuris, factum præſumit donec probationes aduenniant; vel omnem omnino excludit probationem, & tunc præſumptio iuris, & de iure vult factum eſſe. Non ergo verum eſt quod aſſeritur: facta non præſumi niſi probentur, imo facta præſumuntur, vel donec probentur, vel aliqua probatio à iure non admittatur. Confirmatur, quomodo adiudicauit Salomon dicens; date huic infantem viuum, hæc eſt mater eius, vnde nouit? factum illud erat occultum, & probari minimè poterat: altercabantur ad inuicem duæ illæ mulieres: vna dicebat filius meus viuit, & filius tuus mortuus eſt: altera reſpondebat, non, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem viuit: interceſſit præſumptio, & rei veritatem aperuit, probauitq. quod probationes indicare non valebant.

In Syn. num. 3.

Glo. in c. 15. q. de ſponſal. ult. contra præſumptionem.

3. reg 3. Text. c. 2 de præſumpt. Gloſ ſup eod. C. verbo hæc eſt mater eius. text. in cap. qualit. & quando 2. huius nominis de accuſat.

VII. A quo didicit ignotis, & innominatis teſtibus fidem eſſe præbendam? quia aſſerit è noſtra familia à fide dignis accepiſſe nihil de hac re auditum, an ignorat ad atteſtandam veritatem non dicta ſolum, ſed etiam nomina teſtium aperienda eſſe?

VIII. Sed eſt, & aliud peccatum in hoc aſſerto à Nigrono, dum per hos teſtes negatiuam probare intendit homo omni doctrina, & virtute ornatiſſimus, quod nec ipſos dialectica

tantummodo tinctos latet, quorum illa eſt vox, illa doctrina; argumentum ab authoritate negatiua nihil valet: quod etiam omnia iura clamant: vnde eſt illud vulgatæ regulæ iuris: Magis vnico teſti affirmanti credendum, quàm mille negantibus: vbi gloſa notanter dicit, quod affirmatiua præualet negatiuæ, eſtq. talis probatio adeo in iure canonico odioſa, vt tanquam peſtis fugienda mandetur. Demus verba Honorij Papæ tertij. *Volentes igitur, vt hæc peſtis contraria omni iuri penitus extirpetur è clero: mandamus quatenus in huiuſmodi probatione negatiua neminem audiatis*: Et nihilomus Nigronus præſumptionem à iure conceſſam explodit, negatiuæ autem probationem peſtiferam admittit.

Cap. ad noſtram de prob. *Cap. ad noſtram de prob.*

Syn n.4 IX. Ratio argumentandi à poſſibili ad eſſe (qua ego minime vſus ſum, credidit tamen me vſum eſſe) *Infirmiſſima eſt*(inquit) *omnium teſtimonio, qui logicam a limine ſalutarunt. ſola enim inficiatione diſparet*. Sed quare hoc modo argumentandi, ſatis quidem infirmo: probatur in hoc libello excurriſſe Ignatium in Belgium his verbis. *Nec pugnantia ſcribit Ribadinera, qui ait primo, & altero anno profectum in Belgium, tertio in Angliã, quia potuit per Belgium, & Antuerpiam excurrere in Angliam*. Vbi hæc eſt vis argumentandi, potuit per Belgium tranſire, ergo tranſiuit: nam ſi factus tranſitus non putaretur, omnino Ribadinera pugnantia diceret; meminerit ergò facta non præſumi niſi probentur ex iureconſulto, meminerit hanc rationẽ argumentandi de poſſibili ad actum, infirmam eſſe, illorum teſtimonio, qui logicam etiam ſummis labijs attigerunt; meminerit Ariſtotelis dogma, quem citat: meminerit tandem, quod ſi fingat factum eſſe, quod fieri potuit, iam Orbis iſte, & prius, & ornatior à Deo genitus eſt, quam re vera ſit, quia ſic fieri potuit: & alia huiuſmodi: & ſciat paraſſe foueam, & incidiſſe in eam.

§. 31. n. vlt. *lib. de gen.*

X. Ariſtotelis, & Sueſſani dicta, quæ in me iacet, non me feriunt: non enim, vt dixi, à potentia ad actum, ſed ex non repugnantia argumentum duxi. Item non dicitur cauſa libera, quæ & ſi ante actum libera ſit, poſito tamen actu, non amplius libera dici poteſt; ſed pro illo tunc neceſſaria; quare fruſtra docet cauſam nõ neceſſariam etiam poſitis omnibus incitamentis

ad

Digitized by Google

ad ambulandum aliquando non ambulaturam, quia etiam libera eſt.

XI. Particulam, Fortaſſe, quam in me contorquet Nigronus, non ſupra profeſſionem, ſed ſupra cauſam profeſſionis cadere, nemo eſt, qui non videat, & hanc ſi me non certò ſcire dixiſſem, quid inde? Et nihilominus non timide, aut dubie locutum me eſſe ſi dicam, non mentiar; aduerbium namque illud, fortaſſe, fortaſſis, forſitan, fortè, &c. ſæpiſſimè à viris doctiſsimis apponitur, vt expreſsiuum veritatis: ſicut apud Ioannem loquutus eſt Dominus: ſi enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit. Vbi Toletus veſter, Illud, forſitan, græcis eſt frequens particula expletiua, & vim potiùs affirmandi habet: propterea multi antiqui Doctores ſine tali particula hanc legunt ſententiã, Irenæus, *a* Cyprianus, *b* Auguſtinus. *c* Et iterum, ſi me ſciretis, forſitan & patrem meum ſciretis. Ibi Toletus, aduerte illud forſitan, non eſſe dubitantis, ſed dictio eſt affirmantis. Quod notiſſimum eſt etiam apud Iuriſconſultos & indubitatũ apud Canoniſtas, inter quos Gloſa pluries, ſed in penultimo citato loco notanter dixit: hic non notat dubitationem, ſed eſt expreſsiuum veritatis: Non bene ergo intulit me timidè, ac dubiè per verbum, fortaſſe, locutum eſſe, & ſciat quod non cum pueris, quos primis imbuat elementis agat.

XII. *d Ad captioſam, inquit, argumentandi rationem cenſeri, & ad captionem conſequentis reuocari, vbi minus commune infertur ex magis communi, quod eſſet, ſi ex potentia quæ anceps eſt ad eſſe, & non eſſe inferretur determinatum eſſe, tunc enim nihil certum haberetur in hiſtorijs, nihil itẽ iuſti deſpicerent in iudicijs Iudices, Euerteretur demũ propoſitio de fide, Deum poſſe facere alia multa, quæ non fecit quoniam non omnia, quæ ſunt poſſibilia fecit.*

Ad hæc omnia, & ſi quæ his ſimilia dicenda eſſent alia, ad captioſam, atque iniuſtam accuſationem referri prorſus atque reduci debere dico ego, qui nunquam ex potentia, quæ anceps eſt ad eſſe, & non eſſe intuli determinatum eſſe.

XIII. Adducit titulum de damno infecto, & eo referente. *Damnum infectum eſt, quod nondum factum eſt ſed futurum veremur;*

Io. 5.

a l 4 c. 3
b lib. c. cõtra Iudeos. c. 18
c hom. 25 de ver. Domini.
Io. 8.
l. item ſi §. 1 ff de reivend.

d l. ſi duo. ff. de arb l ſi filius famil. ff. de proc. in C. 2. de teſt. uer forſ. in C. quã obremae pen di. 1 C. mag. deuot. et vot. redemptio.

ver. forſ. C. tua fratern. de proc. verb. for ſan. C. admonere 33. q. 2. ver. fort. d Syn. n. 5.

mur; quia fieri poteſt: & hoc ad probandum ex materia, quæ anceps eſt ad eſſe, & non eſſe, haud inferri poſſe determinatè eſſe, ſecus, dicit ipſe, *tollendus eſſet è corpore iuris ciuilis titulus integer de damno infecto.*

Veruntamen argumentũ ipſius contrarium prorſus probat eius ad quod inducitur; ſic, damnum infectum ex dicto titulo, nihil aliud eſt, niſi damnum quod futurum veremur, quod licet adhuc non aduenerit: tamen fundamentaliter, & in radice eſt quid determinatum: Habemus caſum in eodem titulo, vbi iuriſconſultus tractat de ædibus ruinoſis, &c. quæ quidem damnum infectum continẽt, quod & ſi vt futurum vereamur: nihilominus tale damnum radicaliter determinate continent, & non aliud, ſcilicet caſum in perniciem vicini; hoc, inquit Nigronus fieri poſſe illis verbis *quia fieri poteſt*, ergo ex potentia ancipiti ad eſſe, & non eſſe quã continent illa verba. *Quia fieri poteſt*, deducitur determinatum eſſe, caſum ſcilicet ædium, et ruinam, quam determinatè continent, et non aliud. Amplius, vel hæc potentia, quam ex præallegato titulo adducit Nigronus eſt determinata ad tale damnum, vel non; ſi eſt determinata ad tale damnum, nihil pro ſe probat, vt dictum eſt, quia non eſt anceps ad eſſe, et non eſſe, ſed ad tale eſſe; vel non eſt determinata, ſed anceps ad tale damnum, et hoc eſt falſum: nam ex tali potentia, tale damnum, et non aliud ſubſequitur, ex ruinõſis domibus, ruinam: et non inundationem; ex inflante, et turgeſcente flumine, inundationem, et non ruinam timemus, quorum quælibet cauſa ſuum determinatum damnũ continet, quod etſi non dum aduenerit radicaliter tamen, et determinate eſt in ſua cauſa. Adhuc ex DD. ſententia in illo titulo, non ideo damnum dicitur infectum, quia euenire poteſt, aut quod à ſimplici potentia pendeat: ſed quia ex aliqua ruina immineat, vel actuali malo, in quo actualiter radicatur tale dãnum non dum factum, terrorem inferens, et ideo rationabiliter futurum veremur.

Tit. de damno infecto l. euenit nonnunquam.

l 2 ff de damno infecto.

Tandem adulteratum inducit textum, quẽ ſi legeris haud in eo inuenies, quæ addit Nigronus poſtrema verba, *Quia fieri poteſt*, dignus ſanè, qui beneuole moneatur verbis apud iuris peritos uulgatis iuribus; Quod textus non dicit: neq. nos dicere debemus.

SEx-

SEXDECIM RATIONES,

quas olim ſeminibus incluſas, nunc in ſpicas creuiſſe gloriatur Nigronus, aruiſſe pateſcit.

In Hiſt. diſp. §. 7. nu. 22.

ANIMADVERSIO VII.

DE ſpinis non vuuas; de tribulis non ficus, ſed tribulos colligi compertum eſt omnibus: dicente Domino, *nunquid colligunt de ſpinis vuas? aut de tribulis ficus?* & Apoſtolus Paulus; *quæ ſeminauerit* (inquit) *homo hæc & metet*. Quæ radicem non habent diu durare non poſſunt; ad ſolis aduentum virentia folia languent, mox areſcunt, & decidunt. Hinc Cicero *ficta omnia celeriter tamquam floſculi decidunt*. Quamobrem, ſexdecim, quas rationes appellat Nigronus, nugaces eſſe renunciat, dum non omnes demonſtrationes eſſe fatetur, qui tamen demõſtratiue negatiuam probare debet; Et quas vberiore exactione in ſpicas explicare promittit, euaneſcere in ipſa explicatione dignoſcitur, quod euidentius illæ ipſæ manifeſtant expenſæ. Matth. 7. Gal. 6. Off. 41. Animad. 3.

Dicit 1. quod tẽpus non reperitur, quo Venetias potuerit veriſimiliter excurrere Caietanus, & colloqui cum Ignatio; & nihilominus decem menſium ſuppetit tempus, quo Neapoli nullo negotio occupatus, nec alibi diſtractus Venetias potuerit, non dico veriſimiliter excurrere, & colloqui cum Ignatio Caietanus, ſed neceſſario fateri traditione cogimur. 2. non pertinebat ad Caietanum cura in Ordinem recipiendi; ſed hanc, pro cauſa non cauſam aſſignat, quod vitioſum eſt; ad rem quippe non facit, ſi ius religioſam regendi Familiam, & in eam alios adoptandi in Caietano locatum tunc fuerit. 3. Inſtitutum noſtrum erat multis capitibus diuerſum à cogitatis, ac deſtinatis Ignatij, ſinìq; ipſius contrarium. Et hæc (parcite mihi) captioſa eſt argumentatio; quanta enim exequimur, quæ oppoſita ſunt ijs, quæ aliquando ſummopere concupiuimus? Concedo duas iſtas Religiones inter ſe diuerſificari; nihilominus multa ſunt, quæ piiſſimum animum Ignatij allicere poterant ſuo, propoſito conſentientia. Primò contemplatiuæ, & actuoſæ vitæ coniunctio, Animad. 2.

quæ

quæ adeo cordi erat ſeruo Dei, vt propterea referat Ribadinera
lib.2.c.4. decreuiſſe Ignatium ab Ieruſalem non diſcedere, ſed cunctos dies vitæ ſuæ in ſacrorum locorum veneratione, ac meditatione, & proximorum adiutorio impendere. 2. in proximis ſpiritualiter adiuuandis noſtratum ſolercia, ac ſollicitudo. 3. ſumma noſtra paupertas conformis Spiritui Ignatij, de quo inter alia, Autho-
l.1.c.10. re Ribadinera, legitur ſeptem, vel octo aureos pro itinere dono acceptos, tanquam præſcriptæ ſibi paupertati contrarios, conſcientiæ ſtimulo actatum, paupertatis cultorem, pauperibus diſtribuiſſe. 4. noſtra in Deum fiducia ſic affixa medullis Ignatij,
l.1.c.10. vt de eo apud Ribadineram narratum inueniatur; Paternæ Dei prouidentiæ hærebat, nullam omnino in creaturis ſpem, aut fiduciam habens. 5. ingens deſiderium ſubeſſe potius, quam præeſſe, obediendi magis, quam imperandi, & alterius ſemper voluntatem faciendi; Quapropter, vt Ribadinera teſtatum reliquit, munus Præpoſiti Generalis Societatis Author ipſe, & caput, nequaquam ſubire voluit electus à Socijs, ſed conſtanter pluries recuſauit, eo honore ſe indignum exiſtimans; quod ſibi iuxta votum accidiſſet, ſi noſtram Religionem ingreſſus fuiſſet. 6. ſacer ille grex recentium victimarum paulo ante in in Borbonica Vrbis direptione immaniter immolatarum. Quare ab Ignatio exoſculatas credo manus, ferreis manicis obſtrictas, prouolutum cõſidero Sanctum virum ad pedes Caietani, compedibus obligatos, & qui præ cæteris infanda tunc tormenta fortiter paſſus fuerat; talia namque de Sancto illo, tunc peregrino, nunc beato in patria, cogitare libet, qui ſi ſacra loca veneraturus pergebat, quanto magis viua Spiritus Sancti templa, & martyres Sanctæ paupertatis
de Trin. Confeſſores (vt Auguſtini verbis vtar) coluiſſe credendum eſt?
l.1.c.10. 7. Ioannis Petri Carrafæ authoritas, & maieſtas, cuius prudenti Conſilio Venetorum Reſpublica regebatur, & ad quem tanquam ad orbis terræ Oraculum præclariſſimi, atq; Nobiliſſimi Senatores confugiebant; deuinciebant namque illos, & ſingularis viri doctrina, & Catholicæ Fidei zelus, & linguæ, non ſolum latinæ, ſed & græcæ intelligentia. 8. Caietani Thienæi Sanctitas, cuius in Deum ardor, vt habetur in Diario Oratorij Vicentini adhuc ſæcularis, Venetos vniuerſos accenderat, ac mirificè inflammarat, vt dimittam Berardinum Scottum apprimè eruditum, qui

poſtea

Digitized by Google

poſtea Cardinalis, quæ in Concilio Tridentino à Patribus tracta- *Petr. A*
bantur ipſe Romæ diſponebat; Petrum Fuſcarenum Doctorem *mil. ce*
Pariſienſem; Thomam Golduellum Epiſcopum Aſaphenſem, *Card.*
quem vitæ ſanctitate, fidei confeſſione, atq; doctrina conſpicuum
teſtatur Eminentiſſimus Baronius, & qui Præpoſitus Domus no-
ſtræ Sancti Pauli, Concilio Tridentino interfuit, quæ in parua *In annot.*
naſcente familia parua non ſunt. Sed ſi quæ alia Sanctus Ignati- *ad Mar.*
us cogitatu decreuerat, prudens poſtponenda exiſtimauit facta *die 3. No*
proponenda infectis. *uembris.*

4. Poſita ſimultate cum Carrafa, nec Ignatius petiturus videbatur, nec ille admiſſurus. Satis quidem infirmum eſt inter Ioannem, Petrum, & Ignatium ſimultates effingere, antequam conuenerint; ſimultates (& ſi fuerint) quis vnquam credere poteſt, cum primum Ignatius Italiam appulit inter eos intercidiſſe? Incredibile prorſus facit, & Sanctitas Ignatij, & probitas Ioannis Petri, qui relicto Epiſcopatu nouum Clericorum Regularium inierat Inſtitutum, & poſtremo prudentia vtriuſque; ſed impertinens nunc hæc ratio adducitur cum inferius legatur. *Vnde habes ſimultates ortas antequam cogitatio de amplectenda noua illa* *§. 10. nu. 35.* *Religione ſubiret animum Ignatij*. 5. Ignatius ſi Religionem aliquam inire inſtituiſſet minus obſeruantem elegiſſet. Proculdubio nihil firmum, nihil certum hæc continent dicta; non enim ex eo quod aliquando S. Ignatius laxiorem decreuerit ingredi Religionem, inde ſequitur, noſtram; quia primæuo feruebat ſpiritu appetere minimè potuiſſe; imò ſi recolis, Ribadinera primo loco refert, quod animo ſæpiſſimè reuoluebat Ignatius Religionem *Vit. S. Ignat. lib. 1. cap. 5.* inire, & poſmodum propenſiorem ad laxiorem habuiſſe mentem, vt plus pati, atq; Deo dignos fructus in reformatione proferre poſſet; cum ergo vtrumq; hæſerit menti viri Dei, & ſi non potuit impelli à ſecundo propter viridem noſtratum obſeruantiam, potuit nihilominus excitari à primo ſuo deſiderio, quod quidem copulatum obiecto præſenti maiorem vim, maioremq; virtutem habere potuit ad inflammandum cor, & ſuadendam voluntatem Ignatij: 6. Dicere Ignatium à S.S. non vocari, ducit nos in abſurda, & ab honore Sancti Ignatij admodum aliena, vt probatum eſt. Nullum omnino abſurdum, nihil ab honore S. Ignatij alienum continet illud dictum; non enim ambigo

virum theologum, & eruditiſſimum ignorare, quod factum fides perhibet, & Deum præcepiſſe Abrahamo immolationem filij, & Angelum, Deo mandante, prohibuiſſe ne extenderet manum
Gen. 22. ſuam ſuper puerum; quare, & petitionem Ignatij noſtrum Ordinem ineundi, & reſponſum quod à Caietano accepit, hanc militiam Ignatio interdicente, ab vno, eodemq; Sancto Spiritu pro-
Animad. ceſſiſſe ſatis probatum eſt. 7. cogitaſſe Ignatium de ſocijs ſecum
8. adducendis tam improbabile eſt, quàm quod maximè. Hoc vtiq; quam maximè voluntarium eſt, & incredibile; quippe quod, vel inefficaciam in Ignatio, vel duritiem arguit ſociorum; ſed quis tantam contumeliam veſtris inferre maioribus audeat vnquam? Vos qui gloriam patris quæritis, & benefacitis, cur ab eo id deſudatis auferre quod Sancto Bernardo honorabile
Breu. fuit? de quo ſic legitur; *Duos, & viginti annos natus, & Monaſte-*
Rom. *rium Ciſtercienſe, vnde hic ordo incepit, & quod tum ſanctitate florebat, ingredi conſtituit, quo Bernardi Conſilio cognito fratres, ſummopere conati ſunt eum à propoſito deterrere, in quo ipſe eloquentior, & felicior fuit; nam ſic eos, alioſq; multos in ſuam perduxit ſententiam, vt cum eo triginta iuuenes eandem Religionem ſuſceperint*. 8. coaluerat iam multis votis aſtricta Societas. Magis coaluerat Illuſtriſſima Canonicorum Regularium Familia; Vix lucem aſpexerat Franciſci Seraphicus cœtus, quando ad hunc ab illa receſſit Antonius Patauinus. 9. Quia nulla prorſus de hac re mentio in ſocietate fuit. Si argumentum ab authoritate negatiua aliquid probat, probat vtiq; aliquid (quæ nunc ratio circũfertur) at ſi omniũ ſententia nihil valet, nec ipſa quoq; delumbata valebit quicquam, eo magis quod non omnium, quæ Sanctus Pater veller apprime geſſit apud vos extat memoria, quod etiam omnibus Sanctis contigiſſe fatentur omnes; imo aliqua ignorata ipſe in primis teſtatur Ribadineira, quem Nigronus citat. Hoc autem ea potiſſimum ratione occultaſſe Ignatium mihi perſuadeo, & omnibus ſuadetur, ne ſagax cæleſtium donorum occultator alijs aperiret, quod altiſſimam ſui continebat perfectionem, præcipuam gloriam; non enim parum Ignatij commendatur humilitas omnimoda abnegatio, & totalis expoliatio, ſuo neglecto propoſito, alienum, atq; à cogitatibus ſuis extraneum eligere inſtitutum, quod tamen apud nos ſẽper viguit, vireſq; in dies acquiſiuit maiores,

Digitized by Google

iores, ne tanti viri ſummæ perfectionis periret exemplar, quod
quidem obruere, permittere non debemus 10. Quia tunc maxi-
mè comparabat ſibi ſocios. Quod aſſumit, probare debuiſſet;
nempe tum maxime Ignatium ſibi, ſuęq; familiæ ſocios compa-
raſſe, cum de noſtra amplectenda cogitaſſe tradidi; & nihilomi-
nus hoc in illis, qui Sancti viri ſcripſere vitam minimè reperi-
tur; Legas propterea Ribadineram, apud quem hæc habes. *Dum*
ſocios Venetijs præſtolabatur Ignatius, ibiq; moraretur, ſolerter, vt mo- lib. 2. c. 6.
ris erat in proximis adiuuandis operam dabat, cuius hortatu aliqui con-
ſiliorum, perfectioniſq; viam aggredi ſtatuerunt; Hi fuere duo fratres,
Stephanus, & Iacobus Eguia, qui poſtmodum Societatem inierunt, &
Baccalaurus Nozzes, qui, & ſi virtutem venerabatur Ignatij, non ta-
men omnino credebat ſeipſum illi. Quid ergo impedimenti eſſe po-
terant Ignatio, qui non ſtatim ei adhæſerant? & multo minus,
qui dubius omnimodam illi fidem non tribuebat? Præterea,
quamuis, quo tempore nobiſcum ſe ſociare intendebat Ignatius,
alios ſibi coaptaſſet; hoc nihil aliud probat, quam propenſio-
nem Ignatij proximos adiuuandi, quos, vel in ſua, (vt meditatus
erat) inſtituenda, vel ad aliam familiam iam firmatam ingredi-
endo, prout Spiritus Sanctus eum interius impellebat, conſocios
adhiberet. 11. Quia Sanctus Ignatius conſtantiſſimus in Decre-
tis. Sanctus Ignatius conſtantiſſimus, &c. cur Ieroſolymam per-
rexit in ea commoraturus quoad vixerit, nulla prorſus habita
ratione Religionis condendæ, res per te tot annis antea ſtabilita?
cur à decreto receſſit, quod teſte Rib. iam diu firmauerat? *Vita S.*
Idem vir Sanctus, & conſtans, in Religione. 1. Domino famu- *Ign. lib. 1.*
lari meditatus eſt; 2; loco propenſiorem perſenſit animum ad la- *cap. 11.*
xiorem ſuſcipiendam, vt in reformatione vberiores gigneret fru-
ctus; 3. ſtatuit ſuum proſequi inſtitutum. De eo Maffæus hęc *lib. 1. vitę*
habet. *Multa, ac diligenti prece, & ieiunio explorat numinis volunta-* *cap. 16.*
tem, ac diu perplexus. Ante hæc omnia totum ſe ſe Deo com- *Rib. lib.*
mittens, nullo adhibito ſubſidio ad alimoniam neceſſario, pere- *1. vita*
grinationem aggredi ſtatuit firmus in corde ſuo. Verumtamen *cap. 10.*
non leuis, aut inconſtans, aliquid quo aleretur cordatus admiſit;
nam ab incepto quandoq; & à præfinito ſibi fine deſiſtere præ-
ſtantius eſt. Hæc autem omnia, ſine conſtantiæ detrimento, vir
conſtantiſſimus operatus eſt; verum ſi vix ſemel dumtaxat Ordi-

nem Theatinorum Patrum ingredi pertentaſſet, inconſtantiæ labe mox, nullo modo abluendus, omnino fœdatus fuiſſet. 12. Quia ſpiritualibus exercitijs erat addictus, quæ magiſterium requirebant. Quia ſpiritualibus exercitijs erat addictus Ignatius, ſumma animi propenſione noſtrum Ordinem ingredi concupiuit, qui negotiationem vllam agnoſcit; quare facilius illi fuiſſet intrare in potentias Domini, nec deſerere oportuiſſet illud armorum genus ad animas Deo ſubdendas aptiſſimum, cum hoc noſtræ Religionis munus præcipuum ſemper extiterit, & de Caietano, & Bonifacio in primis ſciatur quanta fecerint, vt peccatores Deo lucrifacerent, ex magiſtris facti diſcipuli, cum nullus quippe efficacius doceat, niſi ille de quo Saluator ait; Qui fecerit, & docuerit. Sed quid ſibi vult illa propoſitio ne fieret ex magiſtro diſcipulus? Ergo nemo poterit vti Ignatij exercitijs ad alios edocendos, ni ab aliorum poteſtate exemptus? Ergo confeſſarij veſtri, qui ſubditi ſunt, ſuos cõſitentes ſacris illis exercitationibus inſtruere minimè poterunt? Ergo Chriſtus Dominus, quem Pater dederat ducem, & præceptorem gentibus, non poterat deſcendere Nazareth, & hominibus ſubditum eſſe? *Magnus eſſe vis?* (docet Auguſtinus) *à minimo incipe: cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis, & quantam quiſq; vult, & diſponit ſuperimponere molem ædificij, quanto erit maius ædificium, tanto altius fodit fundamentum.*

Matth. 5.

Iſa. 51.

Luc. 2.

Ser. 10. *de ver. Dñi.*

De Theodoſio Cœnobiarca, eximiæ ſanctitatis viro, refert Ioannes Petrus vester Maffeus, quod futuræ prolis, quas ſpiritualiter Domino pariturus erat, accepto oraculo, mox ab alio ſe illicò inſtituendum curauit, timens prius eſſe Doctorem, quam diſcipulum, nec ad pugnam deſcendere auſus eſt, quin prius, cum Dauide, manus ad prælium, & digitos ad bellum edoctus; Romualdus Camaldulenſium Inſtituti author, ad Marinum vitæ ſanctitate, ac ſeuiore diſciplina in finibus Venetorum eo tempore celebrem ſe contulit, vt ad ſanctam, & ſublimem perfectionis viam eo magiſtro, ac duce vteretur. Paulus Apoſtolus quem Doctorem gentium, & electionis vas præordinauerat Deus, Ananiæ prius ſubeſſe voluit. Hæc eſt ergo via qua dilecti Dei ſerui perfectionis apicem, inter quos, & Ignatius, attigerunt. Quid dicam? nonnè, & ipſi humanæ Philoſophiæ Magiſtri, nequa-

Io. Petr. Maff. uit. Theod. cæn. pag. 1223. 224.

Pſal. 143

Act. 9.

qua-

quaquam ſuæ tantum ſapientiæ amatores, multas luſtraſſe prouincias, nouos adijſſe populos, maria tranſiſſe legimus, vt ex Magiſtris, aliorum fierent diſcipuli? Docet hoc S. Hieronymus, Pithagoræ, Platonis, & Apollonij præcipuorum Philoſophorum exemplo. Do verbis. *Sic Pythagoras Memphiticos Vates, ſic Plato Ægiptum, & Architam Tarentinum, eamq; oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laborioſiſſime peragrauit, vt qui Athenis Magiſter erat, & potens, cuiusq; doctrinam Academiæ Gymnaſia perſonabant, fieret peregrinus, atq; diſcipulus; malens aliena verecunde diſcere, quam ſua impudenter ingerere, &c.* & paulò poſt. *Apollonius, ſiue ille Magus (Vt vulgus loquitur) ſiue Philoſophus, (vt Pythagorici tradunt) intrauit Perſas, pertranſiuit Caucaſum, Albanos, Scytas, Maſſagetas, opulentiſſima Indiæ Regna penetrauit, & ad extremum, latiſſimo Phiſon amne tranſmiſſo, peruenit ad Bracmanas, vt Hiarcham in throno ſedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos diſcipulos de natura, de motibus ſyderum, ac dierum curſu audiret docentem. Inde per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Aſſyrios, Parthos, Syros, Phænices, Arabes, Paleſtinos, reuerſus Alexandriam, perrexit Aethiopiam, vt Gymnoſophiſtas, & famoſiſſimam ſolis menſam videret in Sabulo. Inuenit ille vir vbiq; quod diſceret, & ſemper proficiens, ſemper ſe melior fieret.* Quamobrem, ſi Paulus Gentium Doctor, & Magiſter, diſcipulus fieri voluit: Si hoc fecerunt homines Dei, & qui Deum non agnouerunt; haud abſurdum putandum, Sanctum Ignatium è Magiſtro fieri voluiſſe diſcipulum. eo magis, cum, ad noſtram doctrinam, ibi Ambroſius referat, ipſam quoq; Deiparam Virginem Apoſtolorum, & Euangeliſtarum Magiſtrã, à Paſtoribus edoceri voluiſſe, eorum factam diſcipulam, illis verbis. *Si Maria à Paſtoribus diſcit, cur magis cupis docere quam diſcere?*

Epiſt. ad Paul.

lib.2. cõ. in 2. caput luca.

13. Habuit reuelationem de condenda Societate. Nihil officit Reuelationi, quam de ſua ſocietate condenda habuiſſe volunt Ignatium, petitio noſtri Ordinis, cum ſciamus Chriſtum Dominum rogaſſe Patrem, vt calicem paſſionis à ſe transferret, cuius reuelationem acceperat. Adde hoc proprium eſſe ſanctorum, ſi quandoq; illuſtrationibus cælitus honeſtantur. Quare Beata Virgo Maria docta ab Angelo, quod conciperet, & paritura eſſet Saluatorem, turbata eſt, cogitans qualis eſſet illa ſalutatio,

tatio, & quomodo illud fieret ſcire voluit; ergo Caietani oraculo, qui ſanctimonia præclarus ab omnibus habebatur, certiorari potuit de reuelatione Ignatius, omni ambiguitate ſemota, petitionem ergo reuelatione explodere vanum eſt. 14. Non putabat Ordinem Patrum Theatinorum duraturum. Continet implicantiam, Religionem, quam non dum cognouerat, defituram exiſtimaſſe, niſi inſtituto permutato, & plus in proximis adiuuandis occuparetur, cum noſtra Religio à ſuo primordio ad proximos adiuuandos directa fuerit, Sacramentorum, & verbi Dei frequenti adminiſtratione. Imo B. Caietanus primus omnium in Italia Sacramentorum frequentem vſum ardentiſſimè prouexerit, nec propoſitio omnimodo vera creditur, cum Religiones ſanctiſſimæ, & noſtra antiquiores, imò longiſſimi temporis ſpatio antiquiſſimæ, & minus quam noſtra ad proximorum auxilium occupatæ, in ſuo vigore Deo fauente permaneant. 15. Venetijs fuit grauiſſimis calumnijs impetitus. Conceditur Venetijs calumnijs impetitum Ignatium, iudicium inſtitutum, ſententiam, innocentiam declarantem ſero latam; ſed negatur toto tempore, quo fuit Venetijs illi præpeditum, ne habitum poſceret, neq; ad illum admitti potuiſſe. 16. Nihil de hoc ſcitum à Carrafa; Iam dixi ſupra, & conceſſi quod cum Carrafa etiam egit, cauſamque attuli cur in vita Carrafæ non meminerim. Cæterum ſi ſexdecim harum rationum lectione cognouit lector (ſicut ipſemet author fatus eſt) non omnes eſſe demonſtrationes; nunc futiles, ac nullius momenti dignoſcere poterit; quare neq; ſingulæ iunctæ omnes iuuare poterunt.

Diarium Oratorij Vicentini Tuſus his Cler. Reg. c. 4. & 9. Carac. in vita Cai. pag. 184. & 200.

Textum, cui hæret, contrarium prorſus probare ipſa verba demonſtrant, quæ propterea affero. *Qui iura multa poterit dicere, quorum vnumquodq; per ſe ipſum ſatis validum non eſt, an poſſit excuſari quæſitum eſt, puta ſeptuaginta quis annorum non eſt, neq; tres habet tutelas, ſed neq; quinq; filios, aut aliquod aliud ius remiſſionis habet, nimirum duas tutelas, & duos filios, & ſexaginta annorum eſt, aut alia quadam talia dicit, per ſe ipſa quidem perfectum auxilium non præbentia, quæ tamen ſi inuicem coniuncta ſint iuſta apparerent; ſed viſum eſt hunc non excuſari.* Si non excuſat quæſo te quid hinc vtilitatis?

A QVO-

A QVO SPIRITV MONITVS Ignatius ad noſtra tranſire voluerit.

In Niſt. diſp. §. 3. *nu.* 10. 11. 12.

ANIMADVERSIO VIII.

MVlto, ac magnifico apparatu (non tamen, quod intendit, probante) ſatis luculenter differuit Nigronus, ad inconueniens vt traducat narrationem meam, ab humano, vel diabolico ſpiritu ſuaſum, ac ſeductum Ignatium, cui non à Sancto Spiritu ad noſtram Religionem vocari dixerat Caietanus.

Si coram ageremus, percontanti, à quo ſpiritu impulſus fuit Ignatius ad petendum Ordinem noſtrum, protinus reſponderem, à *Spiritu Sancto;* Nemo quippe eſt, qui neſciat, ab vno eodémq; Deo, qui ſolus (vt ait Auguſtinus) nouit congruentem ſuis temporibus generi humano exhibere medicinam, diuerſa piorum hominum deſideria proficiſci, operationes diuerſas, diuerſa præcipi, diuerſa mandari. Non ne vnus, idemq; Deus in pijſſimum Dauidis animum auguſtiſſimum ædificandi templum immiſit ardorem? & ab eodem vno Deo Dauidimet prohibitum poſtea fuit illud ædificare? Abrahamo à Domino primo iniunctum fuit, vt filium immolaret, & ſecūdo vt à ſacrificio filij abſtineret. Vt quam plurima prætermittam, quæ Sanctis Romualdo Sacri Camaldulenſis Eremi authori; Franciſco Seraphici Ordinis parenti; Antonio, eiuſdem digniſſimo filio; Tereſiæ Fratrum, ac Sororum Ordinis Carmelitarum arctioris obſeruantiæ matri, ac magiſtræ in eorum geſtis eueniſſe legimus, vnum tantum ex Ribadinera afferam de Sancto Ignatio; Ille, inquam, in vita ſui Sancti Fundatoris narrat, ſanctiſſimum virum Venetijs ſocios auidiſſimè expectaſſe, vt Hieroſolymam voti, & Religionis cauſa ſimul peterent, & nihilominus verba ſunt Ribadineræ. (*Notabile dictu*) *Hieroſolymitanus acceſſus eo ſolummodo anno peregrinis interdictus fuit, nam Dominus dirigebat greſſus B. Patris, & ſociorum ad altiora quam ipſi caperent, vel ab initio excogitaſſent;* Ecce ipſo teſte à Spiritu Dei prohibitum Ignatio Hieroſolymā

lib. 2. Ser. Dom. in monte.

2. reg. 7.

B. eui. Rō. S. Bonau. in legen. S. Frāciſ. cap. 9. Vit. S. Te res. lib. 2. cap. 3. Vit. breu. fol. 1049

Digitized by Google

ne accederet, ergo ſi verè enunciantur, tot labores, tot itinera Sancti Patris à Pariſijs ad Hiſpanias, ex Hiſpania ad Italiam, vſq; Venetias, quo ſpiritu ſuſtinuit Ignatius, diabolico, an humano? Cum ex hic prolatis neceſſario inferendum eſſet, vtraq; à Deo proficiſci minimè potuiſſe; ſed abſit, vt de tanto viro, quantus erat Ignatius, talia, nec etiam mente concipiam. Hoc non eſt ſuum vindicare, ſed inficiare parentem; Hoc non eſt cauere ab opinione, quæ fallax eſt; Hoc non eſt imbuere calamum duobus illis melle, & lacte, quæ ſub lingua Sanctæ ſponſæ latitabant.

Concludamus igitur ex dictis, quod neminem latet, qui diſcernendorum ſpirituum omnino ignarus non ſit, & Domino inſpirante, Ignatium petere potuiſſe à Caietano ſuum vt in Ordinem aſciſceretur, & Domino inſpirante à Caietano accepiſſe Ignatium, vt nouum Ordinem moliretur. Porro Authores longa ſerie recenſiti, & ſi enumeratas Spirituum varietates ponant, quibus anima in bonis eligendis moueri poteſt, non tamen aſſerunt ad diuerſa obiecta ab vno, eodemq; ſpiritu impelli minime poſſe; quod probandum erat. Neq; loquuntur de Spiritu ad ingrediendum in aliquam Religionem, qui abſq; dubio non

2. 2. q. poteſt eſſe niſi à Deo, teſte S. Thoma, cuius verba hic ponam.
vlt. a vlt. *Illi qui ad Religionem accedit, non poteſt eſſe dubium an propoſitum de*
ad 1. *ingreſſu Religionis in eius corde exortum ſit à Spiritu Dei, cuius eſt du-*
Epiſt. 1. *cere homines in terram rectam*; Vnde infert, illud Io: Nolite omni
cap. 4. ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint, non pertinere ad illum, qui vult Religionem ingredi, quia ille non habet rationem dubitandi. Honorifica igitur, decora, & plena dignitatis eſt iſta noſtrę Religionis petitio, non humano, ſed Spiritu Sancto impellente Ignatium iam Sanctum ab Eccleſia declaratum.

Qua propter vobis quoq; licet in hoc quodammodo gloriari; & de Caietani reſponſo eandem vtilitatem, ac voluptatem percipere, quam ex alijs prædictionibus accepiſtis.

Si diuinitus fuerit, acceptum Caietani reſponſum, nunquam diſputare intendi; noſtri enim procliues non ſunt ad noſtratum reuelationes aſtruendas; Vnum tantummodo à Nigrono peto; cum illā deliberationem ſe capturum protulerit Caietanus, quā

Do-

Dominus demõſtraret, quid neceſſitatis, vt poſtea reſponſum à Deo accepiſſe proferret? Non ne maioris humilitatis, quod fecit Caietanus? ſuper quem quieuiſſe Spiritum Dei non patuum indicium fuit Caietani humilitas, atq; reticentia.

QVÆ EX NIGRONI SENTENTIA Ignatium ab Ordine Theatinorum auertere poterant inania demonſtrantur.

In Hiſt. diſp. §. 17. *num.* 61. 62.

ANIMADVERSIO IX.

Nigronus non animaduertens traditionum robuſtiſſimas turres, etiam validis coniecturis, nec euerti, nec concuti poſſe, multa adhuc leuia excogitauit. Quibus in paragrapho decimo ſeptimo, & ſequenti decimo octauo, etiam atq; etiam perſuadere nititur nihil tunc prorſus ad noſtrum Ordinem ſuſcipiendum, & ſuſpiciendum allicere potuiſſe Ignatium; Imò triplici ratione auerſionem aſtruere contendit, quarum prima eſt, Idea, quam ſibi de noua Religione ex illuſtrationibus potiſſimum Minoriſſæ acceptis, intra ſe formauerat Ignatius, & ſcimus opera, & inuenta, quæ ſunt ingenii partus ab omnibus agentibus, ex Ariſt. diligi. Huic accedit authoritas Euſebij Cęſarienſis, & Ambroſij; ille. *Pater omnis, atq; author, ea quæ genuit, aut fecit diligenter ſtudet conſeruare*; Hic autem. *Et quis operator negligit operis ſui curam?* His ex propoſito, vt occurram, illud in primis obſeruo obiecta præſentia magis, magiſq; mouere animum, & abſentibus quamuis nobilioribus præſtantiora eſſe, vt fortiter, ſuauiterq; noſtram ſibi copulent voluntatem, & voluptatem. Exemplum habemus in Apoſtolo Petro, dum eſſet in monte Sancto, de quo habet S. Leo Papa. *His ergo Sacramentorum reuelationibus Petrus Apoſtolus incitatus mundana ſpernens, & terrena faſtidiens, in æternorum deſiderium quodam mentis rapiebatur exceſſu, & gaudio totius viſionis impletus, ibi cum Ieſu optabat habitare, vbi manifeſta eius gloria lætabatur.* Hic adde. Apoſtolum Petrum prius à Chriſto Ieſu accepiſſe Eccleſiæ Sanctæ ſolidam ſe futurum pe-

§. 17. num. 61.

eodem §. num. 62.

Serm. de transf.

 tram

Matth. 16. tram illis verbis. *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues Regni Cælorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cælis, & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cælis;* Et poſtmodum apetuit illi Dominus gloriam ſuæ transfigurationis: Dicerem proinde Nigrono, ſi à Chriſto Domino immediatè, omni ſemota ambiguitate, atq; doli timore, quæ nimium angere ſolent mentes illuminatorum, apertè reuelata fuit Petro Eccleſiæ ſuprema authoritas, & poteſtas, cuius ipſe caput, & Chriſti Vicarius iam denunciatus erat, cur in monte Thabor petit quod illud deſtrueret? Cur diuerſum imò promiſſis contrarium poſtulat? Cur mundum Chriſti paſſione, à qua omnia nobis bona prouenerunt priuare volebat? Contingit ergo, vt mentes illuminatæ, (vel humiliter ſentientes de ſe an ſic diuinitus ſit diſpoſitum affirmare non audeant, vt de S. Ignatio dici poteſt; vel propter arcanum aliquod, & diuinum myſterium elucidandum, quod contigit in Petro) illis hæreant, quæ præcedentibus illuſtrationibus contraire videntur, & quidem quod ad Petrum ſpectat, pulchrè Beda Præsbiter. *Si tantum transfigurata Chriſti humanitas, duorumq; Sanctorum Societas ad punctum viſa delectat, vt eos ne diſcedant, etiam obſequio Petrus ſiſtere velit; Quanta erit fælicitas, viſioni Deitatis inter Angelorum choros adeſſe perpetuo?* & S. Io: Chriſ. *Ducebatur autem anima ad quendam Diuinum affectum, quaſi ex Diuina viſione ab humano ſenſu abſtracta*, & Gloſ. interl. *Quamuis ſtupefactus, inſitum tamen ſibi affectum indicat*. Et ſubdit Gloſ. Ord. *Oblitus Sanctis Regnum promitti non in terris, ſed & in Cælis, & ſe, & coapoſtolos mortali carne indutos immortalis vitæ ſtatum ſubire non poſſe, & domum manufactam neceſſariam non eſſe.*

Matth. 17.

Bed. lib. 3. in c. 9. Marci.

Chr. cit. à S. T. in Catena ſup. 9. caput Marci.

Gloſ. iter in cap. 9. Marci.

Gloſ. ord. in cap. 9. Marci.

Cæterum quemadmodum S. Ignatius cælitus ſuæ Religionis incrementa præintellexit, & nihilominus, ac ſi nihil de hoc diuinitus accepiſſet, ea primo tempore moliebatur, quæ illi omnino aduerſabantur; Statuerat namq; Hyeroſolimam pergere, atq; in ea ciuitate nihil de Societate in poſteritatem erigenda decernens, ad extremum vſq; vitæ animas Deo parere; eodem modo ſe geſſit, Deo nobiſcum inſeruire deſiderans.

II. Contraria effari videntur; enimuero ſi illuſtrationibus

ſuæ

ſuæ Religionis ſibi formauit Ideam Ignatius, vtiq; ſui partus non fuit ingenii; quæ enim à Deo accipimus Dei ſunt, nec nobis tribuere debemus, niſi acceptis contra Deum muneribus pugnare velimus; *qui enim*, ait Greg. *accepta bona ſibi arrogat, ſuis contra Deum donis pugnat*, hinc apud Prophetas, qui propterea videntes dicuntur, frequenter, & ſæpe ſcriptum reperies, *Hæc dicit Dominus*, & Moyſi, cui tabernaculum ex Dei præſcripto fabricandi cura demandatur ſeriò dicitur. *Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*. Si verò induſtria, & adinuentum fuit Ignatij, deſine illuſtrationibus inhærere, & quæ ſunt Dei Deo, quæ autem hominis ſunt, homini redde. li. 9. moral. c. 2. Exo. 25

III. Qui Sancti viri accuratè vitam ſcripſerunt, & Societatis hiſtoriam proſecuti ſunt, vt modò diximus, nec iterare piget in veritatis oſtenſionem, & lucem, hoc ſerui Dei pium fuiſſe conſilium, hoc firmum propoſitum literis conſignarunt, Sacra Ieroſolymorum loca luſtrare, quæ Chriſti Domini ſunt dicata memorijs, ibiq; vitam, animarum lucro, & deuoto in Deum affectu refertam concludere. Anno verò 39. in mentem incidit Societatem in poſteritatem propagare, & alia multa, quæ vberiùs infra; omnia tamen ſubſecuta Manreſianum receſſum. Quare ſi veram Iuriſconſulti protulere ſententiam, cui libenter hæſit Nigronus, meq; ſubſcribo, præcedentem intentionē qualis fuerit declarāt, & firmant abundè; & quæ ex Ariſt. Euſ. Cæſ. & Ambr. inducũtur, facti veritati nō aſſentire manifeſtãt. Rib. lib. 1. c. 11. Orl. lib. num. 58 2. Animad. 14. § 17 num. 61

Secũdo loco, ad ſuadendum nunquam tale aliquod S. Ignatiũ intentaſſe, altiſſimè in animo Sancti ſui parentis inſediſſe vult ſub aliena poteſtate ſe non poſſe proximos prout decreuerat adiuuare, quare intendiſſe ſibi ingreſſũ in aliam quamlibet Religionem: ad quod probandum hæc ex Maffeo ponit *Multa, & diligenter orat, & iteratò explorat numinis voluntatē, ac diu perplexus, in eam denique mentē ſeſe diuinitus planè ſenſit impelli, vt ſine dubio tunc ſtatuerit primū operam ſuam qualis qualis eſſet nequaquam intra vnius Familiæ cancellos includere (Quod intellige de Familijs tunc inſtitutis, vbi ſubeſſe oporteret, & ad alterius vtilitatem, non de Familia condenda opera ſua, cui finem ipſe præſcriberet ſpiritualis inſtituendis, & quæ ad viueret præeſſet)* Verùm hæc plurimum veritati noſtræ fauent, nam ſi multa;

quia F 2 ac

ac diligenti prece, & ieiunio explorat numinis voluntatem, ad diu perplexus; ergo in illa diuturna perplexitate, in hanc potuit deuenire ſententiam, vt à Caietano, qui Sanctitate conſpicuus magnam tunc temporis ſibi Venetijs compararat veneratienem, Dei vellet Ignatius intelligere voluntatem.

Interpretatonẽ verò, quæ vltimis Maffæi verbis apponitur, omninò intentioni, atq firmæ Ignatij voluntati opponi perſpicuum facit illud, quod de eo communiter traditur, & in primis in ipſa canonizationis Bulla legitur, celebre humilitatis exemplum; conſtanter renuendo Generalatus honorem. Interpretatio his verbis exprimitur. *Quod intellige de Familijs iam inſtitutis vbi ſubeſſe oporteret, & ad alторum viuere voluntatem non de familia condenda opera ſua, cui finem ipſe praſcriberet, Spiritum infunderet, & quoad viueret praeeſſet.*

Sequentia ſunt verba Bullæ Canonizationis S. Ignatij. *Denique non ſolum vanam mundi gloriam, ſed etiam ipſum egregia magnanimitate contempſit; renuntiatus enim Praepoſitus generalis Societatis tandiu id muneris ſubire recuſauit, quoad eius conſeſſarius, ei vt demandatum reciperet officium imperauit.* Quomodo autem hæc pro ſe faciant, qui legit intelligat.

Bull. canoniz. §. 30.

Argumentatur 3. quia noſtrum Ordinem non admodum duraturum timebat Ignatius. Huic reſpondeo, eſto quod huiuſce mentis tunc fuerit Ignatius, non tamen hinc ſequitur, quod noſtrum Ordinem non potuiſſet appetere, nam, quod eo tempore meditabatur, non erat perpetuum in poſteritatem propagandum, ſed proximos adiuuare Ieroſolymis degens, quoad vita ſuppeteret, quod omnes ſcriptores veſtri concordiſſimè tradunt; Noſtrum verò Ordinem non duraturum quoad ipſe viueret, nunquã credere poterat, & hoc ſatis illi erat. At quid ſi ex relatis à Nigrono talia de nobis non excogitaſſe Ignatiũ probem? Do verba *Quae Religiones nullis proprijs reditibus, ſed quotidianis eleemoſynis viuunt, eas dicebat, neq perpetuas, neq. in ſuo inſtituto permanẽtes eſſe poſſe, niſi aut vitae aſperitate aut inſigni aliqua vtilitate hominum beneuolentiam in ſe allicerent, & benignitatem excitarent: Iſtę enim duę res hominum animos plurimum commouent, &, vel admiratione, vel fructu, ad liberalitatẽ tribuendum inuitant.* Et quæ maior vtilitas, Cleri reformatione? diuini cultus inſtauratione? Sacramentorum frequent admi-

§. 17. nu. 62.

Digitized by Google

adminiſtratione? Et, quod ſeculares omnes magnifaciunt, nullam prorſus ſtirpem ex talibus officijs, etiam vel nutibus poſtulare, ſed omnem ſollicitudinem in Dominum proijcere?

Amplius confidenter dicam, nullatenus illo ſermone de nobis locutum Ignatium: noſtra quippe Religio ad proximos adiuuandos ab initio nomen habuit. Probat hoc planè, & quidem plenè, quod Sanctiſſimus Summus Pontifex noſter Paulus IV. Apoſtolorum apprimè imitator, & æmulus, ad Mariam ſororem ſcripſit: audi ipſius verba: *Noſtra, ſicut & cæteræ Religioſorum Familiæ, ad euangelizandum, Peccatorum labes abluendas, & ſpiritualia ſedulò fidelibus miniſtranda, inſtituta, nullius eg nt. cum Dominus ordinauerit vt de Euangelio viuāt, & ex debito ſubſtententur. Dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Ad euangelizandum, inquit, Peccatorum labes abluendas, & ſpiritualia ſedulò fidelibus miniſtranda: ergo ad proximos adiuuandos potiſſimum noſtra eſt inſtituta Familia; ergo qui altari deſeruiunt, cum altari vt dixit Apoſtolus, participant, nec hominum prorſus patrocinio ægent. Vtroque ergo modo excipimur, nec diu propterea noſtram Religionem non duraturam inferri poſſe perſpicuum eſt. Huic proximè accedit ne vir ſanctus, à Deo illuſtrationibus abundantius cumulatus ignoraſſe credatur, quod neminem, licet imperitum, latet: Inſtituta, quæ à Chriſti Domini Vicario accipiunt firmitatem non temerè cepta eſſe, nec citò labi, neq. humanis Deum ægere adiumentis, vt illos paſcat, qui relictis omnibus, ſequuti ſunt eum: cum ipſe dicat. *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me, centuplum accipietis, & vitam æternā poſſidebitis.* vbi Beda: *Qui enim terrenis affectibus, ſiue poſſeſſionibus pro Chriſti diſcipulatu renūciauerit, quò plus in eius amore profecerit, eò plus inueniet, qui ſe interno ſuſcipere aſſectu, & ſuis gaudeant ſubſtentare ſubſtantijs.* Adde quod in more fuiſſe Ignatio tradunt: nihil de quopiam, etiam ſi certò ſciret, aſſerere: humiles namque ſibi haud nimium credunt, prudenterq. affirmare non audent, quod ſi forte minimè euenire contingat, mendacij notam pudenter incurrant. Quomodo ergo Paulo iv. non multo poſt Pontificijs Inſulis ornato: & Caietano Thieneo, cuius ſanctitatem omnes venerabantur, dum ſummæ perfectionis opus aggrediuntur, Euange-

Luc. 10.

1. Cor. 1

Matth. 19. In natali S. Bened.

Rodr. p. 2. tract. 2. c. 11. Rib. lib. 1. cap. 6.

huiuſce legis ſpecimen, & ornamentum, defectionem, de qua nemo dubitauit, nec experientia contingere potuiſſe docet; Sanctum Ignatium prudentia, ac pietate conſpicuum adſcripſiſſe credendum eſt.

Si Theatinorum Ordinē Sanctum, & obſeruantem, ab Apoſtolicā Sede cōfirmatum, optimis legibus temperatum, Eccleſiæ Dei fructuoſum, (quæ omnia Nigronus ipſe teſtatur) agnouit Ignatius: de eius duratione vtiq; ambigere non debebat; non enim Deus citò perire permittit, quod Eccleſiæ ſuæ bono tam ſanctè inſtituit.

Tandem à Nigrono percunctari libet, quomodo hæc duo
§. 17. n. S. Patris veſtri dicta ſibi cohæreant? Primum, Theatinorum
62. non duraturam Religionem, &c. Alterum verò, iudicare ſe
§. 17. n. maius Domini ſeruitium eſſe, vt vtraque Religio (veſtra .ſ. &
49. noſtra) perſeueraret in eo inſtituto, quod ille cuique dedit: ſi
deſituram putabat, quomodo perſeuerare poterat? & ſi perſeueratura, vtique non deſitura.

Aſt de nobis, ergebis, pronunciaſſe Ignatium, dilucidè Nigronus aperuit illis verbis (B. Pater noſter non dixit illam ſententiam, quam refero, Cardinali Carrafæ, ſed vni è noſtris patribus loquens de ſolitudine Patrum Theatinorum, ſignificans nō duraturam Religionē, niſi mutarent inſtitutum viuendi, & proximiorum vtilitatem procurarent, prout fecerunt;) Cui protinus reſpondeo, nihil me illa dicta mouere. Quare inſto primo, vel illam ſententiam, prout eſt relata à Nigrono, protulit Ignatius, & hoc nullo modo iam ante dicta ſua-
§. 18. n. dent, uel protulit Nigronus, & cur inter coniecturas, Vene-
69. tias non commigraſſe Caietanum, illam præcipuam ponit, ne
ſacris diebus deferent cuculas, quas extraneas comparaue-
Syn nu. rat, quarum iam erat ſanctus Pater Spiritualis, earumq; curam
6. §. 13. habebat? Secundò quia continet implicantiam, nam, vel inſti-
nu. 25. tutum iam erat immutatum, & non poterat dubitari de dura-
tione Ordinis, & quod pluris eſt, nō probat ad quod probandū inducitur: Vel non erat immutatum, & cur immutatum declarant illa verba, *prout fecerunt*? Quare vel, vt à S. Ignatio prolata, referuntur, uel à R. Badinera, uel tandem ab ipſo Nigrono et primum nullo pacto credā, ſic me cogit dicere Sanctitas Ignatij, quem non niſi ueracem fuiſſe fatendum eſt; Si à Ribadinera

nera (pace tanti viri, quem ſummopere veneror) dicam, quod quemadmodum deceptus eſt, ſibi perſuadens primos noſtros Patres peccatorum confeſſiones non auſcultaſſe, ſic decipitur, eos credens, qui ſubſecuti ſunt, inſtitutum mutaſſe; Si à Nigrono; hæc quidem, & alia multa illi condonanda cenſeo, meq; à qualibet, vel exili vltionis ſuſpicione ſeruabo innoxium.

Quæ autem ad idem quoque penitus ſuadendum in paragrapho decimo octauo opponit Nigronus, inferius profligantur. *Animad.* 24.

S. IGNATIVS A NOTA LEVITATIS, & fractæ fidei in illo à Nigrono gratis, & vanè præſumpta vindicatur.

In Hiſt. diſp. §. 4. *num.* 14. §. 19. *num.* 74. §. 21. *num.* 79. 80. 81. 82. §. 22. *num.* 84. §. 23. *num.* 86. 87.

ANIMADVERSIO X.

SAtis quidem honorificè de Sancto Ignatio loqui debemus omnes. Quare, & ſi multis ſtuduerit Nigronus, vt auertat homines à credendo Sanctum virum noſtro puſillo gregi Venetijs aggregari voluiſſe; præcipuè ne leuis haberetur ad omnes, & infidelis ad ſocios; commentitia ea eſſe, & vana validiſſimis rationibus comprobatur. Ad arctiorem tranſire, prima relicta vocatione, nec leuitatis nota, neq; crimen, ſed laudabile conſilium eſt: A Societate, Apoſtolica authoritate minime firmata, ne dicam tantummodo concepta, ad Religionem, Apoſtolica authoritate roboratam, tranſitus quid erit? Et confirmatur, quia non fuit leuitas, neq; macula Sancto Dominico parenti optimo Sanctiſſimi, atq; Illuſtriſſimi Ordinis Prædicatorum, hæreticorum mallei, & tot Sanctorum virorum nutricis, & matris fecundiſſimæ, quod prius Oximenſis Eccleſiæ Canonicus regularis extiterit. Quæ leuitas Sancto Antonio Patauino adſcribi poteſt; quod à Canonicis regularibus ad Seraphicam mox exurgentem familiam tranſierit? Nulla proſus.

Per Religionis ingreſſum omnia vota ſolui communis DD.

opinio

opinio eſt, promiſſiones factæ Deo ſoluuntur, factæ hominibus ſtabunt?

Fuit ne firmius promiſſum inter Socios Ignatij, quam ſit fides data inter ſponſum, & ſponſam in matrimonio rato? Et tamen per alterius in Religionem ingreſſum dirimitur ſine leuitatis, vel fractæ fidei macula; aut nota, quod eſt de fide, deter-
a Cap. ex minatum multis Pontificum *a* decretis.

publico. Confirmatur vſu antiquiſſimo Eccleſiæ, & colligitur traditio-
Cap. ex ne apoſtolica de qua Bellar. Sanchez. *b* Vnde ſumitur potiſſi-
parte. ma ratio; & eſt voluntas Chriſti declarata per hanc traditio-
Cap. uerũ nem. Congrue autem; cum quia profeſſio eſt mors ſpiritualis;
de cõuerſ. quare ſicut morte naturali ſoluitur vinculum matrimonij con-
coniug. ſumati, ita illa ſpirituali ſoluitur vinculum ſpirituale matrimo-
Conc. Tri nij rati; tum quia ſecundo, tranſitus ab imperfectiori ad perfe-
dent. ſeſſ. ctum ſtatum licitus eſt, quando nulli infertur iniuria; ita con-
24. can. 6 tingit in rato. ex S. Thom. *c* Bellar. *d* Filiuc. *e* Si ergo nulla ſit
b lib. 2. de iniuria alteri coniugi ex S. Thom. & veſtris Authoribus locis
matrim. citatis, ſi alter altero etiam inuito dimiſſo Religionem ineat,
c. 38. diſp. qui nec datæ fidei violator, nec leuis dici poteſt; diceturfor-
18. nu. 3. ſan S. Ignatius tenuiori arctatus vinculo? Abſit: ratio autem
c In. 4. d. quam vbi ſupra affert S. Thom. ſatis aptatur, & congruit caſui
27. 9. c. a noſtro: ait enim; quod à prima fide deſponſationis coniuges
3. q. 29. appellantur, non in re præſentium, ſed ſpe futurorum: ſic dici
d lib. 2. de poteſt de S. Ignatio, & ſocijs. Item vinculum inter S. Ignati-
Mattrim. um, & ſocios erat ſpirituale; ritè igitur dirimebatur per mor-
cap. 38. tem ſpiritualem.

e tract. 10 S. Alexium Romanorum nobiliſſimum, *f* quod prima nocte
de Sacr. nuptiarum relicta ſponſa illuſtrium orbis terræ Eccleſiarum
Matr. p. 1 peregrinationem ſuſceperit; nemo eſt qui reprehendat, nemo
c. 2. n. 60 qui fractæ fidei, & leuitatis nota criminetur: omnes ſummis
f Breu. laudibus efferunt, atq; ſingulari encomio eum laudat Sancta
Rom. Mater Eccleſia, *g* qui noua mundum arte deluſit. Quis vn-
g Martyr. quam obiecit S. Cæciliæ, quod Valerianum ſponſum accepit,
Rom. & tamen ad eius nuptias non peruenit? Scio quid dicis, hos diuinitus doctos, hæc peregiſſe: concedo, verum concede mihi quæſo, nihil in his prauitatis, aut vitij fuiſſe, non enim Deus impellit ad id quod prauum, & vitioſum eſt, & ſufficit mihi.

Addam

Digitized by Google

Addam poſtremò præclarum, & ſatis appoſitum exemplum Sancti Hugonis Gratianopolis ampliſſimi Præſulis Sanctus hic vir iureiurando canonicis regularibus ſe aſtrinxerat ab eis non receſſurum: Attamen Chartuſianæ obſeruantiæ poſtmodum amore incenſus, nullatenus verbo iam præſtito permotus, eoq; iuramento firmato, factis Deo precibus (quod, & Sanctum Ignatium feciſſe nemo iuſtè dubitare debet) protinus ab illis recedens, his impauidus prout optauerat ſe adiunxit. *Maff. in vita S. Hugonis.*

Attollat nunc è tumulo caput Nigronus, & dicat, an S. Hugo leuis ne fuerit, aut inconſtans, fidem an fregerit, aut ab officio boni viri tandem receſſerit? Vtique ſi talia de Sancto Hugone eloqui non debemus, cur Sancto Ignatio opponere poterimus?

Vt quid ergo nimio labore deſudat, vt credatur, inconſtantem fuiſſe Ignatium, ſi ſua poſtponens ad noſtra tranſire voluiſſet; non ne ſciunt omnes Sanctam Tereſiam, ſine vlla conſtantię labe à Monaſteriorum fundatione, bonum ſanè opus, piè, ſanctèque ſuſceptum deſtitiſſe quandoq;? Sanctum Romualdum à Pannonica profectione, Sanctum Franciſcum Aſſiſſinatem à nauigatione in Syriam; Sanctum Antonium ad Saracenos, quo martyrij cupiditate flagrantes Dei Spiritu conciti migrabant, reuerſos? S. Ignatium, quod ſibi præſcripto de manſione Ieroſolymitana non perfeciſſe? Paulum quoque, & Barnabam Apoſtolos reſiſtentibus ſibi iudæis, ex præſcripto Spiritus Sancti conuerſos ad gentes. Num præcipui gentium Doctores inconſtantes fuere? An Spiritus Sanctus, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus ſcientiæ, & fortitudinis, illud eiſdem præcipere potuit, quod ſaperet inconſtantiam? Cur Paulus, qui in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupramodum, in mortibus frequenter ſemper impauidus, qui Elymam Pſeudoprophetam Iudęum ſuæ prædicationi reſiſtentem cęcitate percuſſit; ſic facile Iudæis ceſſit? cur non eos ſignis, atque prodigijs flexit? Ex his diſce non ſemper, in ſuſcepto opere permanere, cōſtantiam eſſe; imò aliquando audaciam indicare: audacia autem, ex doctrina S. Thomæ, fortitudini opponitur, per defectum timoris, in quantum ſcilicet aliquis non timet, quod oportet timere. & idem S. Thom. *Ad magnificentiam perti-net,* *§. 21. nu. 80.* *act. 13.* *Iſa. 11.* *2. Cor. 11.* *2. 2. q. 126. à 2. in corp.*

net, non ſolum, quod homo conſiſtat in executione magnorum operum; quod pertinet ad conſtantiam, ſed etiam cum quadam virili prudentia.

Pſal. 18. Hinc S. Ambroſius docet, eſſe etiam infirmitatem ad ſalutem,
Ser. 21. eſſe etiam timorem Sanctorum.

In Apol. S. Athan. *Ipſum Verbum, propter nos homo factum, non indignum*
de fuga. *putauit, cum quæreretur quemadmodum, & nos abſcondere ſe, & cum perſecutiones pateretur, fugere, ab ipſo enim, vt antea, & ſemper omnes docebantur, & hoc inſtitutum homines ad perfectionem ducit.*

Tract. Et S. Auguſtinus. *Futurum erat, vt aliquis fidelis Chriſti abſcon-*
28. in Io. *deretur, ne à perſecutoribus inueniretur, & ne illi pro crimine obijceretur latibulum præceſſit in capite quod in membro confirmaretur.*

Non ergo inconſtantia fluctuauit Ignatius, ſed prudentia commonefactus, alia via aggreditur, quod ſibi præpediri timebat, hoc non eſt difficultatibus vinci, ſed difficultates eludere, & duplici victoria triumphare, quam ſibi facilius promittere poterat aſſociatus Carrafæ, & Thienæo, quorum alter bene nouerat quan-
Diarium ta fecerit in regione Hiſpaniæ Apoſtolicus legatus; alterius ve-
Orat. Vi- ro ſanctitatis fama in ore omnium Venetijs ferebatur, cuius
cent. feruenti ſpiritu incenſa fidelium corda, diuini amoris igne flammabant.

2. 2. q. Adde quod inconſtantia ex S. Thom. dicitur, receſſus à bono
53. a 5. propoſito definito. Non poteſt dici bonum obiectum, cui diuina
in corp. non accedat voluntas, quæ dat rebus omnibus bonitatem, & quæ eſt regula, & menſura bonitatis in rebus, cum ergo propoſitum, quod ſibi aliquis definit ex aliqua circunſtantia dignoſcitur non eſſe Dei voluntatem, vt adimpleatur, tunc deficit ei bonitas; ergo qui illum non implet, non dicitur, quod
Vit. S. Te recedat à bono: ſicut exemplificari poteſt in S. Tereſia, quæ ag-
reſ. lib. 2. grediebatur aliquando ædificare aliquod monaſterium, verum
c. 2. & 3. ex difficultatibus arguens non eſſe Dei voluntatem, deſiſtebat; nec propterea dicebatur inconſtans; nam licet recederet à propoſito definito, non tamen recedebat à bono propoſito. Item non aliud obiectum habuit S. Ignatius, niſi diuinam voluntatem: fundare Ordinem ſuum, vel alium ingredi, erant media diuinam voluntatem adimplendi; cum ergo circa idem obiectum ſemper fuerit conſtans, variaſſe media non facit Ignatium inconſtantem.

Ad

Digitized by Google

Adhuc, receſſus à propoſito definito non dicit inconſtantiam, quandocunq. à bono progreditur in melius. Quis autem inficiabitur meliorem, & perfectiorem eſſe ſtatum Religionis Apoſtolica authoritate confirmatæ, cuiuſmodi tūc erat noſtra, Societate Ignatii, quæ à ſancta Sede per id temporis roborata non erat: quæ ve, teſte Orlandino, ſicut in ipſis cæpta, cum ipſis finem habitura erat, in poſteritatē nō propaganda: Et quo progreſſura eſſet dubietas permaxima inuaſerat cū Ignatium, tum ſocios, qui prima Societatis fundamenta locarunt. Quæ iā tum erat in ſemine. De cuius prouentu anceps sūmus Pontifex Paulus III. haud omnibus, & quibuſcunq. ſicut, & cæteris indultū eſt: ſed paucis tantūmodo præſcriptis ſodalibus ad probationē, & experimentum facultatē fecerit profitendi. De qua dubitatum aliquando fuit, num vera eſſet Religio. Quinimo ex eadem Societate nō defuere, qui minime ſe religioſos eſſe credebant, ad quorum animos mæſtitudine grauatos ſolidandos, neceſſe fuit, vt Gregorius xiii. ſummus Pontifex (cuius eſt Religionibus cunctis robur firmitatéq. impertire) Paterno, quo in Societatem ferebatur, affectu, eam Apoſtolico Diplomate veram Religionem declararet. Quæ tandē poſtquā ad sūmum ſui progreſsū deuenit, quo ad maximā ſui partē, quæ omnimodo firma nō eſt, expulſioni obnoxia, nouiſſimū præceteris in Eccleſia Dei locū obtinet, inferiorē etiā Equitibus Ieroſolymitanis: quoniam omnes quidē firmiorē ſtatum habent, nec mentiri me facit Leſſius eiuſdem Societatis, cuius verba ponam in teſtimonium veritatis. *Fateor tamen non habere omnē firmitatē.*

Item, cuiuſuis Religionis ingreſſu matrimonium ratum diſſoluitur, quod nō diſſoluunt vota, quæ poſt biennium emittuntur in Religione Societatis; ſimilia votis ſæcularium Clericorum, vt docent DD. ex eadem familia: *a* ac propterea rationem diſcriminis inter profitentes in Religionibus, & eos, qui ſacris initiantur, quam ponit Laiman, *b* (cur ſcilicet Eccleſia velit per profeſſionem Religionis matrimonium ratum dirimi, non item per ſuſceptionem ordinis? quia per profeſſionem cenſetur fieri perfectiſſima traditio ſui ipſius, & reciproca obligatio cum Religione; ideoq. mors quædam ſpiritualis, ac veluti alterum ſpirituale matrimonium, cui merito prius ſecundum

2.2. q. 53. ar. 5. in corp.

lib. 4. n. 58.

2. tom. Bull cōſt. 89.

De ius, & iure lib. 2. c. 41. dub. 14.

a Vaſq. p. 2. diſ. 165. ca. 10 Sanch. l. 5. moral c. 1. n 29 Laiman l. 5. trac. 10. p. 4. c. 3. n. 2.

b Laim. ubi ſup. num. 3. dum carnem initum cedere debet, cuiuſmodi perfecta traditio in ſuſceptione ſacri Ordinis nõ reperitur;) hanc, inquã, rationẽ ſi illis qui elapſo biennio in Societate vota emittunt, aliquo modo quis accomodet, iure dici poſſe intelliget, nõ illa eximia perfectione, qua cunctæ Religiones ſplẽdeſcunt Societatẽ clareſcere, quia per profeſſionẽ in cũctis Religionibus cenſetur fieri perfectiſſima ſui ipſius traditio, & reciproca obligatio cum religione, quæ nõ reperiũtur in ijs fere innumeris, qui trãſacto biẽnio vouẽt in Societate, quæ reciproce nõ obligatur illis, cui aſſentientes, quia ſciunt ſaltẽ ratione libertatis dimittẽdi, quæ remanet in Societate, perfectiſſima ſui ipſius traditio aſſignari non poteſt: Item quia huius minima pars, aliarum tota, omnem habet firmitatem, vt paulò ſuperius dictum eſt: ſemper autem maiorem partem minorem ad ſe trahere, ſaltem quoad denominationem, exploratum eſt omnibus. Nec eſt, qui credat auream eſſe totam ſtatuam, quia Caput habet aureum: quo-

Dani. 2. modo erat illa, quam apud Danielem vidit in ſomnis Nabucdonoſor Rex. Porrò modica illa portio, eorum ſcilicet, qui profeſſi, profeſſas incolunt domos, quæ ſunt capita Societatis, quamuis omnem habeat firmitatem, & per profeſſionem perfectiſſimam ſui ipſius faciat traditionem, cum reciproca obligatione cum Societate: nihilominus, quia uerè, & propriiſſimè mendicans eſt (quod quidem maximam dicit perfectionem) inferioris tamen paupertatis gradum colit, illis comparata, qui eminentiori ordine, nihil habentes, à Diuina prouidentia pendent. Illud ſiquidem humanum eſt, hoc autem ferè Diui-

Eſai. 55 num. Quare Diuinũ illud propheticum Eſaiæ dictum ſi aſſumpſerim, non temere quidem. *Sicut exaltantur Cæli a terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ a vijs veſtris, & cogitationes meæ a cogitationibus veſtris.* Adde quod dum tales profeſſi in Collegijs commorantur, Collegiorum certis reditibus aluntur, & quando in Domibus profeſſis egent, cum Collegia copiosè reditibus cumulata ſint (quoniam gratia Dei, & miſericordia eſt in Sãctos eius, & reſpectus in electos illius) horum copijs illorum inopiam adiuuari nulli dubium eſt. Sicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei, fraternitati compatientes. Sic nos docet

Ioan. 3. Ioannes. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit Fratrem*

trem ſuam neceſsitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quo modo charitas Dei manet in illo?

Quamobrem non violata fuiſſet fides non irrita promiſſio ad meliora tendentis, cui ſi hæſuri fuiſſent ſocij nemini illata fuiſſet iniuria: ſin autem minimè, quia docti ſciebant nullam propterea contra Ignatium querimoniam habere poſſe, qui arctiorem, atque firmiorem vitam ea, quam cum illis meditatus fuerat, quamq; ſimul ſpoponderant aggrediebatur; ſed cur eos ſecum adducturum Ignatiũ firmiter credere nõ debemus? quod adeo rationi conſentaneum eſt, vt non parum mirer, ſic inefficacem promere hominem, qui Spiritu Dei agebatur, qui ſequentibus ſe promiſit (nec mentiri poteſt) daturum ſe verba, quæ loquantur, & adeò inflexibiles, atque propriæ voluntati addictos diſcipulos excultos magiſterio ſpiritualium exercitationum, & ſpiritu, quem Ignatius tamquam magiſter ijs inſufflàuerat, qui Ignatium venerabantur omnes, & agnoſcebant, vt Patrem; Ignatij ductum ſequebantur tanquam diſcipuli, & filij parentem, qui eos ſpiritu genuerat; ſi pater erat, & magiſter; vbi eſt amor, & reuerentia patri pariter, & magiſtro? Quando Ignatius magiſter, & pater adhæſurus erat illis, tunc omnibus erat cor vnum, & anima vna, quando ipſi Ignatio, tunc illicò peritura fuiſſet vnitas, pax ſumma ſublata, atq; concordia, liberi fuiſſent, & ſuæ ſpontis, oculos habuiſſent apertos, quos aperuerant illis ætas, & doctrina, non quaſi modo geniti infantes, vt docet Princeps Apoſtolorum, neq; ſicut dicitur de Paulo Apoſtolo, quod apertis oculis nihil videbat, ſicut rectos decet diſcipulos. Siccine erant ſocij Ignatij primæ veſtri Ordinis plantæ.

Cæterum incaſſum laborat Nigronus: quandoquidem nullo eorum ſecuto, quæ vt magna inconuenientia meditatur; atque dicendo amplificat, non aliud quàm actum illum humilitatis, ſuiq; ipſius expoliationis voluiſſe Deum ab Ignatio, ab euentu dignoſcitur, à quo ſi voluiſſet, vt in noſtra familia numeraretur, vtiq; ineffabili, ſempiternæq; diuinæ ſapientiæ modi non defuiſſent, quibus, nec leuis, nec inconſtans, aut imprudens appareret Ignatius, ſocij verò fortiter, ſuauiterq; diſponerentur, ad ſui magiſtri ſectanda veſtigia.

Digitized by Google

THIENAEVS, ET CARRAFA
in noſtra Religione fundanda omnino compares.

*In Syn.num.*19.20. 21. 22. 23. 24. *In Hiſt. diſp.* §.7. *num.* 22. § 10. *num.* 29. 30 31.

ANIMADVERSIO XI.

COgitauit Nigronus (validiores ſuas arbitratus efficere partes) Caietanum à conſortio Carrafæ in cōdenda Religione ſeiungere atq; huic vni omnimodam regiminis tribuere poteſtatem, ac nouæ Religionis originem, à quo cæteri omnes ſumpſerunt exordium. Verum Caietanum æquè, ac Carrafam Religionis noſtræ fuiſſe Fundatorem teſtes mihi ſint, & omnium primum Pontificium diploma Clementis ſeptimi, *a* qui cōdendæ Religionis facultatem facit Ioanni Petro Carrafæ, Epiſcopo Theatino, & Caietano Thienæo præsbytero Vicētino, & ſocijs, &c. Huic proximè accedunt felic. recor. Paulus V. *b* & Gregorius XV. *c* Caietanum Fundatorem pronuntiantes; nouiſſimè verò S.D.N. Vrbanus Octauus *d* Caietanum publicis honoribus decorauit, & Fundatoris titulo inſigniuit, eodemq; hoc titulo in Martyrologio Romano, *e* nuper reformato, apponi mandauit: quare contrarium effari non ſine temeritatis nota fieri poteſt. Eminentiſſimi Patres Sacris Ritibus præpoſiti, *f* & Sacræ *Rotæ Romanæ* Auditores, *g* qui de mandato Sanctiſſimi Canonizationis proceſſus acriter examinarunt, Caietanum ex actis Fundatorem agnouerunt, & pronuntiarunt. *N*ec deſunt ſcriptores illius, & noſtri æui, qui vnanimiter huic veritati aſtipulentur, & adſcribantur. Petrus *R*ibadinera; *b* Auguſtinus Turtura, Congregationis Summaſchiæ Præpoſitus Generalis; *i* Kalendarium Sanctorum, & Beatorum Vincentiæ: K Iacobus Marzarius: *l* Didacus Payua Luſitanus: *m* Petrus Antonius Spinellus: *n* Paulus Aemilius Saracinus Canonicus regularis Lateranenſis: *o* Angelus Grillus Caſſinenſis: *p* Ioſeph Seruita: *q* Laurentius Montis Sacrati Dominicanus: *r* Comes Georgius Triuultius: *ſ* Ioan. Baptiſta Strozzi: *t* Ioannes Vincentius Imperialis: *t* Ioſeph Coliſtæ: *t*

a Bull. tom. 3. *conſt.*
b Viuæ uocis oraculo facto Io: Cardin. Delfino.
c In excit. ad Ord loc. pro fabric. pro cescanonizatio.
d Bull. t. 4. *conſt. cap.* 111.
e Marty Rom. 7. *Aug.*
f In dec. de Beatif. B. Caiet.
g in rel. factaSS.

Ro-

Robertus Pogiolinus; *t* Ioannes Iacobus Roſſanus; *t* Bernardus Morandus; *t* Hieronyminus Binago Congregationis Oratorij; *u* Abraamus Bzouius; *x* Dominicus Grauiza; *z* Frater Michael Lerius Inquiſitor Mutinæ, *a* qui ne dum Fundatorem, ſed & Patriarcham pronunciat; Ioannes Antonius Angriſanus, *b* qui eum vocat primum inſtitutorem; Marcellinus Santagata; *c* Matthæus Cudner; *d* Antonius Caracciolus; *e* Franciſcus Boluitus; *f* Franciſcus Maria de Monaco; *g* Molfeſius; *h* Geneb. ſeu Arnal Pont; *i* Cæſar de eng. *k* Pellegrinus Bertacchius Epiſcopus Mutinenſis; *l* Tufus Epiſcopus Acerrarum; *m* Robertus Cardinalis Bellarminius; *n* Ioannes Delfinus S.R.E. presbyter Cardinalis; *o* Dominicus Riuarola presbyter Cardinalis; *p* Petrus Valerius S.R.E. præsbyter Cardinalis: *q* Alexander Eſtenſis S. R. E. Diaconus Cardinalis. *r*

Ex quibus quam plures primatum tribuunt Caietano, ſicut elici poteſt ex verbismet Ribadineræ loco præallegato, quæ operę pretium duxi hic adnotare.

Venetijs etiam cum Ioanne Petro Carrafa, qui poſtea Paulus IV. Pontifex maximus appellatus eſt conſuetudinem habuit, qui Epiſcopatu Theatino relicto ad Caietanum Vicentinum ſe ſocium adiunxerat. Quod conſonum videtur narrationi Antonij Caraccioli in vita Beati Caietani *fol.* 190.191.192.

Quod autem ab hiſtoricis etiam noſtris, aliquando primatus videatur tribui Carrafæ, aliquando verò Thienæo; non eſt quod miremur, ſed in Carrafa dignitas in Thienæo vero primus condendæ Religionis ſpiritus attendendus eſt, à quo humiliter, atq; enixe Carrafa admitti petijt memorabili poſterorum exemplo, ad Caietani pedes ipſe Epiſcopus prouolutus. *Caracc. in vit. B. Caiet. pag.* 192.

Nec dicere iuuat; Carrafa tunc moderabatur Ordinem; Carrafa in primum Præpoſitum, & Caput totius gubernationis eligitur; Conſtitutiones, & regulæ à Carrafa datæ fuerunt; Ad Carrafam à proceribus Neapolitanis, vt noua ſoboles nouum apud ipſos reciperet incrementum honorifice datæ fuerunt epiſtolæ; A Carrafa iniuncta fuit Caietano neapolitana profectio; Caietanus non ipſe ſibi ſocium aſciuit, ſed à patribus aſſignari popoſcit, quod non procliuioris ad ſocium aliquem

h In vit. S. fūdat. lib. 2.*c.*6
i In vita Hieron. Aemil. l. 2.*cap.* 5.
k Calend. SS. et BB. Vinc.
l In hiſt. Vicet. li. 2 *ad Ann.* 1524.
m lib. 1. *orthod. explan.*
*n In l. de laud Deiſ. c.*4.*n.*11.
o In vit. Albert. de altiſſ. lib. 2.*c.*18.
p In epiſt. & carm. in laud. B. Caiet.
q In opuſculò cuius tit. progreſſus B. Caiet.
r In conc. in laud. B. Caiet.
s I carm. de B. Caiet.

quem animi indicium fuit, & ſubiectionis; A Carrafa tanquam poteſtatem habente mittuntur Caietano epiſtolæ.

Ex tot antecedentibus, quæ conſequentiæ deduci poſſint attende: Neque Carrafa tunc Ordinem gubernabat, neque Thienæus, vt ex actis capitulorum generalium liquet; ſed Bonifacius, qui præerat domui Venetiarum, in qua eo anno generale capitulum celebratum fuerat, ad hunc ſpectabat cum reliquis ſocijs Ordinem regere, primatus quippe tribuebatur præpoſito domus capitularis, quamuis omnes ſimul omnia diſponebant. Hinc nota verba, in primum præpoſitum, & caput dicitur, nam vna ſimul gubernabant omnes primi noſtri Ordinis conditores; præcipue tamen Carrafa, & Thienæus, penes quos, teſte Caracciolo, erat ſumma rerum; regulas à Carrafa, & conſtitutiones datas fuiſſe admitto, ſed non ab eo ſolo. Hoc ſi cuipiam competere debet ex quatuor, præcipue, & maximè de Caietano videtur dicendum, à quo tanquam à perenni fonte primus fundandæ Religionis Spiritus emanauit in cæteros. Quare ſicut honor fundationis competit ſingulis, ſic ſpeciali prærogatiua originis decoratur Caietanus, Pontificia dignitate Carrafa. Hi namq; duo eminent ſuper omnes; Carrafæ à proceribus Neapolitanis ſcriptum fuit, vti conciui, & cognito, quod declarant illa potiſſima epiſtolæ verba. *Bono huius ciuitatis, quæ mater veſtra eſt te diligit, & tanto filio gloriatur. Tufus in hiſt. Cler. reg. cap. 4.*

A Capitulo generali (*Act. cap. in archi. S. Pauli.*) eo anno Venetijs celebrato, non à Carrafa, Neapolim miſſus fuit Caietanus, electus futuræ neapolitanæ domus Præpoſitus; neque humilitas Caietani in non eligendo ſibi ſocium, indicium eſt, non eum eſſe Fundatorem; imò hinc caput potius, & dux ſuæ familiæ agnoſci poteſt, & debet; Eſt quippe humilitas, propria eorum virtus, qui alijs præſunt; iuxta Domini præceptum, *Matth. 20. Qui maior eſt inter Vos ſit Veſter miniſter*. Et in lib. Sap. *Eccl. 3.* ſcriptum inuenitur. *Quanto magnus es humilia te in omnibus*. Ergo quo ſubliniorem locum obtinebat eo humiliari magis debebat.

Patet etiam niſi veritatem inficiari volenti ex verbis ipſis, quæ in diſceſſu è Venetijs protulit Caietanus, coram Sanctiſſimo Crucifixo procumbens, quibus Deum precabatur, patribus, vt inſpi-

t In poë. in laud. B. Caiet.
u i Orat. habita Rom. corã Sacr. Ser. Emĩ. pp. in beatif. B. Caiet.
x In ſuis annalib.
z de Rel.
a In facult. qua facit imprim. vit. B. Caiet.
b i facult. impreſſ.
c In hym. in laud. B. Caiet.
d In diſtichis de B. Caiet.
e In vit. B. Caiet.
f i vit. B. Andreæ.
g i elogio B. Caiet.
h In ſumma tract. 8. cap. 9.
i i appb. impſſ. vit. B. Caiet.

ſpiraret illum ſibi adiungere ſocium, qui ſuæ maximè omnium aduerſus eſſet voluntati; Patribus dixit, non Carrafæ; quia non vni, ſed vna omnibus ſimul erat poteſtas. Epiſtolam Caietano à Carrafa datam, concedo; ſed cum Carrafæ, neq; ex fundatione, neq; apoſtolica authoritate, neq; generalium capitulorum decreto totius Religionis regimen tunc competeret, ſed Domui Sancti Nicolai Venetiarum, in qua generale Capitulum præcedenti anno celebratum fuerat, ne cogamur fateri Carrafam arrogantem, quod ipſe in primis Nigronus cognoſcit abſurdum; nomine eiuſdem domus à Carrafa ſcriptam dicendum eſt; quod, & confirmant ipſa Epiſtolarum verba Carrafæ ad Mariam ſororem. *Inde ortum eſt, vt exigentibus id a nobis Vrbis iſtius rectoribus conati ſimus.* Non de ſe loquens ſolummodo, ſed vna ſimul de omnibus; qui regebant, quiue plurimum deferebant tum Carrafæ, tum etiam Caietano, ſine quorum conſilio, licet abſentium, nihil agebatur: iuxta illud Apoſtoli. *Rom.* 12. *Honore inuicem prauenientes*. Vnde non improbabile, imò rationi maxime congruum firmatur ex dictis, Caietanum Venetias adijſſe, vt tribus alijs ſocijs ibidem commorantibus; quæ ſibi expedire videbantur, aperiret.

Hinc, vt elicias velim, nec ex moderatione Ordinis Fundatorē dignoſci; ſecus quando Frater Elias minorum Ordinem gubernauit, S. Franciſcus Aſſiſinates adhuc viuens fundator dici minimè poterat.

Nec ſi Caietanus non extitiſſet fundator, ab eo, vt ad noſtram Religionem admitteretur petere non potuiſſet S. Ignatius; non enim neceſſario cum ſuperioribus debent eſſe primi congreſſus; non ne à quolibet quamuis infimi ordinis ad Religioſum habitum admitti poſcere libet?

Dicet quis, quare cum Carrafa non egit? Dico quod cum Carrafa etiam egit; nec tamen huiuſmodi congreſſus memini in vita Carrafæ, nam cū primo loco edidiſſem vitam Caietani, hac vulgata, percepi diſplicentiam (ne dicam prætenſam Iniuriam) quæ tamen vnquam in animo meo fuit: libenter ideo, quinimo ſummo etiam ſtudio, ab eo me cohibui, calamoq; peperci. Quod autem reſponſum acceperit S. Ignatius à Carrafa, nec tunc ſcripſi, nec modo ſcribam.

i In ſua hiſt. pag. 31. c. 9.
k Neapolis Sacra.
l In ap 4 prob. impres. vit. B. Caiet.
m In hiſt. C.R. pag. 31. c. 9.
n Ber. sar.
o In viug vocis Orac. Paul. V.
p In viug voc. orac. Greg. XV
q In relat. de virt. ex Mir. B. Caiet.
r In Epiſt. ad P. Caſt

Non ergo Caietanus ſolus, tanquam poteſtatem habens (quod mihi obiectat Nigronus) auſcultauit rogantem, & dimiſit, quamuis Caietani ſolius verba retulerim. Quod ne tibi videatur abſurdum, recolas quæſo Apoſtolos quidem omnes interrogatos, vnum tamen Petrum confeſſum. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* quem in perſona omnium Apoſtolorum locutum affirmat Hieronymus, licet ſolus Petrus reuelationem acceperit, & non omnes.

Matt. 16

l. 3. *com. in Matt cap.* 16.

CONTEMPLATIVAM, ET ACTIVAM vitam ſociare præcipuus noſtratum Scopus.

In Hiſt.diſſ.§.7.*nu.*22.§.18.*nu.*69.70.

ANIMADVERSIO XII.

TVnc noſtrum Ordinem actuoſæ vitæ contemplationi adiunctæ mira varietate florentem in agro Sanctæ Eccleſiæ mundus aſpexit, quando exortæ ſpinæ ſuffocauerant ſementem patris familias, qui ſeminauerat bonum ſemen in agro ſuo, & nouella quatuor illa præclara germina Parentum noſtrorum in nouam ſobolem germinarunt, quæ Apoſtolorum æmula Chriſti fideles, Sacramentorum, & diuini verbi pabulo enutriret; quod munus apoſtolicum ab ipſo exordio noſtros exercuiſſe, conijce ex appellatione, qua meruerunt à Chriſti Vicario honorari; nempè Clerici Regulares.

Ex conceſſionibus, & indultis naſcenti Religioni ſtudiorum gratia, apoſtolica benignitate elargitis, non autem anno 1533. vt aſſeritur (illa namque fuit confirmatio non prima conceſſio) & ex pontificijs verbis, clarè liquet; *Nos Veſtris etiam ſupplicationibus tunc inclinati;* Patet etiam ex nota in margine appoſita. *Et cum eadem congregatio ſtudijs, prædicationibus, & confeſſionibus vacare iam decreuiſſet.* Nota *iam decreuiſſet.*

Clem. 7. *bull. confir.* §.18.*nu.* 72. *Bulla aſſeruatur Romæ in Archiuo S. Silueſ.*

Addam inſuper duo teſtimonia ex conſtitutionibus, non quæ typis datæ fuerunt 1604. ſed quæ à primis Patribus traditæ, manu B. Andreæ deſcriptæ, ob illius, & illorum memoriam, & reuerentiam, tanquam pretioſum theſaurum, in archi-

uo

no S. Pauli pia veneratione conſeruantur. Primum: *Seruiendo gratis Altari, & Euangelio;* & infra, ſecundũ. *Sacramenta miniſtrantur gratis per eos, quos Prælatus elegerit.* *Conſt. 1. in archiuo S. Pauli.*

Quare ab hominibus ſeiunctos noſtrates vixiſſe dici non debet, niſi in ijs, quæ ad illorum ſpiritualem profectum minimè conducebant; ſi enim ſolitarios appellare volueris, quod non circumcurſabant per alienas ædes; ſæcularibus negotijs non implicabantur; ſæcularium bonorum non erant appetitores, diuitias non inhiabant; ad res temporales, ad condenda teſtamenta non ſe ſe admiſcebant; Non ſuadebant diuitibus, vt bonis ſuis ſe, ſuoſq; expoliantes noſtra monaſteria locupletarent; Non permittebatur nouitijs, vt facultates ſuas domui ſuæ profeſſionis renunciarent: Cōlentio; hæc enim omnia nobis à noſtris Conſtitutionibus prohibentur; Denique concedo, ſi ſolitarios dixeris, quos S. Hieronymus veros Clericos deſcribit his verbis. *Cōſt.p.1. c.5. p.2. cap.1. S. Hierō. ad Nep. XII.q.1. Cler.*

„ Clericus, qui Chriſti ſeruit Eccleſiæ, interpretetur primùm
„ vocabulum ſuum, & nominis definitione prolata nitatur eſ-
„ ſe, quod dicitur. Si enim Cleros Græce, Latine ſors appel-
„ latur, propterea Clerici dicuntur, quia de ſorte Domini ſunt,
„ vel quia ipſe Dominus ſors, prima pars Clericorum eſt; & quia,
„ vel ipſe pars Domini eſt, vel Domini partem habet, talem
„ ſe exhibere debet, vt ipſe poſſideat Dominum, & ipſe poſſidea-
„ tur à Domino, qui Dominum poſſidet, cum Propheta di-
„ cit; Pars mea Dominus; nihil extra Dominum habere po-
„ teſt. Sed ſi quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars
„ eius non erit Dominus: v. g. ſi aurum, ſi argentum, ſi poſ-
„ ſeſſiones, ſi variam ſuppellectilem, cum iſtis partibus non
„ dignatur Dominus fieri pars eius; ſi autem ego pars Domini
„ ſum, & funiculos hæreditatis eius non accipio partes inter
„ cæteras tribus, ſed quaſi leuita, & Sacerdos viuo de decimis,
„ & Altari ſeruiens, Altaris oblatione ſuſtentor, habens victum,
„ & veſtitum his contentus ero, & nudam Crucem, nudus ſe-
„ quar, &c.

His omnibus, ſine vlla hæſitatione aſſentio, meq; libenter ſubſcribo. Hæc Clericis maximè competunt, atq; ad animarum quæſtum conducunt præcipuè. Sæculares namque ad eos aui-

H 2 dius,

dius, & frequentius confluunt, à quibus ſine timore ne facultatibus ſpolientur cęleſtia bona Chriſti charitate vberrimè accepturos ſe ſperant; Quod Patres noſtri ab ipſo naſcentis Religionis exordio vſque nunc mirificè exercuerunt, à ſęcularibus curis diſtracti, ſęcularibus perſonis ſpiritualia iugiter miniſtrantes; Quod quidem, quę nunc ſubnectam, aperiunt, omittens quamplurima, quę Neapoli noſtrates piè, ac ſalubriter cum ingenti gloria vtiliter perpetraſſe fuſius in ſupplemento hiſtoriæ C. R. Epiſcopus Accerrarum enarrat; ea tantum memorans, quæ antequam Ignatius in Italiã contenderet, eximia geſſerunt.

Hiſt.Cle. Reg. c.95.fol. 1.ab ãno 1524.& c.3.f.18. et cap.4. f.20. Carac. in vit.Caiet. fol.200. fol.201.

A noſtris Sacramentorum frequentiam, poſt deprauatos mores Clericorum, ortum habuiſſe, teſtatur non ſemel Tufus, cui aſtipulatur Caracciolus, qui hęc habet. *Et licet procul à conſpectu hominum, nempè ad vrbis męnia, ſeceſſiſſent; ægrotis nihilominus in noxocomio vti pridem cæperant aſſiduè inſeruire, ijs, alijſq; labes ſuas fatentibus aurem præbere; agentibus animam, ad vltimum vſq; Spiritum adſidere; languentes, egenoſq; verbo, re qua poterant ſubleuare, Sacramentorum vſum qui inſolens ea ætate erat, modis omnibus inſtaurare ſtudebant.* Et infra. *Scimus quidem vniuersè Ioannem Petrum Carrafam, tunc iuuenem, & Apoſtolicum Prothonotarium, vna cum Hectore Vernacia B. Baptiſtæ Genuenſis genitore fundaſſe Romæ noxocomium inſanabilium; atq; inſeruiſſe Patres noſtros, & Caietanum maximè frequenter ægrotis.* Et infra. *Accepimus item, eos non rarò habuiſſe ſermonem ad populum, Carrafam præcipuè, & Thienæum; quibus promptior inerat dicendi facultas, atq; tum inſtante Borbonica irruptione, tum capta iam vrbe, cunctos ad conſtantiam, tolerantiamq; fuiſſe cohortatos.*

Venetijs, inter inſanabilium noxocomij vętera monumenta, publico inſtrumento hæc de noſtris Patribus enunciata inueniuntur. Anno Domini 1526. Quoniam ita à natura comparatum eſt, vt res omnes, quorum conſilio, & imitatione initium habuere, eorumdem fauore, & protectione maxime gaudeant, augeantur, & conſeruentur, hancq; fortunam valdè recipiant res illę quę diuinis vſibus, aut miniſterijs addictę per bonos, & verè Chriſtianos homines Sanctiſſima accepere adiumenta; ea propter nos gubernatores hoſpitalis pauperum vlceratorum incurabilium; D. N. Ieſu Chriſti Venetiarum per-

ſpe-

„ ſpectam, & bene cognitam habentes probitatem, humanitatemq; RR. in Chriſto . PP. Io: Petri Carrafę Epiſcopi Theatini, & Caietani de Thienęis Clericorum Regularium ad pręſens in Romana Curia commorantium, quorum opera, integritate, doctrina, & exemplo ad Chriſti opera fuimus prouocati, nos ſubinde commonentium miſeris, & valetudinarijs pauperibus non deeſſe, quo tum noſtra tum aliena deuotio per antedictos RR. PP. Apoſtolorum vices in terris gerentes, inflammentur; pro comperto habentes obſequium iſtud, quod in D. N. Ieſum Chriſtum non minus reuerenter, quam fideliter exercemus, nedum protectionis tutelam perpetuam ; verum etiam alacris eiuſdem, & Sanctæ defenſionis ſuſcepturum dignitatem, ob Illuſtre tam Chriſtianorum, ac Sanctiſſimorum Patrum electorum patrocinium, eaq; protectio augendæ fidelium huius vrbis pietati mirum in modum ſit profectura, ſponte, & omni meliori modo, quo potuimus, & efficacius valere poteſt, elegimus, fecimus, & ſolemniter conſtituimus, ac vigore huius præſentis publici inſtrumenti eligimus, facimus, & conſtituimus noſtros, & præfati hoſpitalis, ac in eo degentium, procuratores, defenſores, conſeruatores, & protectores principales, & ſpeciales, ita tamen quod ſpecialitas generalitati non deroget, nec è contra, &c. cum pleniſſima poteſtate, & libertate prædictum hoſpitale, & illius iura, & bona tuendi, & augendi, &c. & quęcunq; negotia in Romana Curia pertractanda omnia alia, & ſingula, &c. facienda, &c. procuranda, &c. Anno 1529. die 25. Ianuarij. Septem annis antequam Ignatius Venetias perueniſſet, à felicis recordationis Clem. VII. apoſtolico diplomate conceditur noſtris ob conciones, & ſtudia etiam ſacrarum literarum certus pſalmorum numerus, quo diuini officij recitationi ſatisfaciant. Hinc percipi poteſt quam firmum ſit quod dicitur num. 22. quandoquidem, quod in eo numero refertur non prima conceſſio, ſed confirmatio fuit, vt ſupra dictum eſt; & nihilominus ad rem non pertinebat, annus quippe trigeſimus tertius, tribus ferè annis Ignatij aduentum præceſſit ; quare nihil erat deſiderandum.

Anno 1530. die 10. Martij Io: Petrus Carrafa Gracorum

errotibus purgandis in ditione Veneta incumbit. Ibidem multa pro catholica fide labores, & incommoda ſuſtinet, ſicut ipſemet teſtatum reliquit, epiſtola, cuius exemplar eiuſdem manu conſcriptum aſſeruatur in Archiuo S. Pauli. *Vere pretioſus labor in conſpectu Domini; tametſi apud mundi huius amatores vilis habeatur, nec tantum vilis, ſed parricidalis odij, atq; acerbiſſimæ inuidiæ adeo plenus, vt nos, qui Chriſtum confeſſi ſumus, ac pro catholica fide ceruices noſtras obijecimus, nunc omni auxilio deſtituti, venenatis canum noſtrorum dentibus diſcerpendi quotidie relinquamur.*

Eodem anno 1539. & duobus præcedentibus nouum monaſterium Sacrarum ſororum Neapoli ſub regula Sancti Dominici, opera Mariæ Carrafæ ſororis, condendum curat.

In toto orbe irrepſerat teterrimus error ex Auerni imis conſurgens, orthodoxæ fidei veritatem de iuſtificatione obumbrans, & inficiens; maculauerat plurimos, fœdauerat vniuerſos; ipſa quoq; electiſſima membra, & præcipua capita Sacerdotum perualerat; Carrafa noxiæ falſitati viriliter reſtitit, & tanquam murus æneus, atq; adamantinus hereticæ prauitati ſe obtulit; in tantis tenebris erroris, & inſcitiæ, clariſſimum lumen prætulit catholicæ veritatis; & quod poſtmodum in ſacroſancta œchumenica Synodo Tridentina definitum fuit, tanti viri induſtriæ, labori, atq; fortitudini proculdubio adſcribendum eſſe, niſi virtutis ipſius inuidus hoſtis, ſentiunt omnes.

Caietanum vero Thienæum Venetias à clade Borbonica profectum innumera illic pietatis munia ſubijſſe, nulli dubium eſt. Ille inquam, cuius opera, vt teſtatur Auguſtinus Turtura (& ab omnibus pro comperto habetur) non ita pridem Venetijs inſigne pietatis opus excitatum fuerat noxocomium ſcilicet, in quo potiſſimum fouerentur inter ægros, ij, quos vel inſanabilis morborum vexaret iniquitas, vel membrorum debilitas incurabili dehoneſtamento notaret.

in vit. Hier. Aemil. lib. 2. cap. 5.

Ille Caietanus, de quo annales Oratorij Vicentini hæc produnt, *Venetias commigrauit ibiq; Xenodochium, quod nouum appellant egregie ſanè, qua erat prudentia reformauit, vigetq; eius inſtitutio ad hanc vſq; diem.*

In eamet vrbe excitauit animos virorum, fœminarum nobilium, atq; plurimorum è plebe. Deniq; Igniculi ab eo iacti ardent

Digitized by Google

in dies, magis, magiſq;. Ille Caietanus, de quo traditur Venetijs ex ęgritudine morti iam proximam, & ſubſidijs omnibus deſtitutam ad vitam reuocaſſe.

Ille Caietanus, qui anno 1533. Neapolim veniens è Domo Sanctæ Mariæ de Miſericordia, in qua primum exceptus fuerat, non multo poſt diſceſſit aptiorem in locum, vbi diuini verbi ſemina cum ſpe fructuum ſpargere, & Sacramenta penitentiæ, & Euchariſtiæ (quod propriè Clericorum eſt munus) adminiſtrare opportunius poſſet, vt refert Caracciolus Adhuc in Domo Miſericordiæ degens, ciues Neapolitanos ad audiendum Dei verbum, atq; ad virtutum imitanda exempla illuc vſque allecturos ſperabat. Et Paulo ante à turba ſeorſum cum Maria in Marthæ miniſterio occupatum Caietanum ſic declarat. *Et verè ſolemne propemodum fuit in ijs, qui religioſos Ordines fundauere locis vulgo abiunctis ſeuera Spiritus dedicare primordia. Ex ijſq; poſt inita, beneq; firmata cum cæleſtibus fędera ad humana, & turbida, hæc veluti Elias, aut Ioannes alteros prodire.* Et infra Noſtratum in proximos aſſiduam charitatem deſcribens; cum in paruo ſtabulo morarentur hæc habet. *Cum enim Patres inibi degerent, & puriori cultu Deum honorare pergerent ægrotis, qui in proximo noxocomio detinebantur, incredibili charitate, ac diligentia aſſidua opem ferebant.*

in vit. Caiet. fol. 221. & f. 222.

fol. 231.

Eodem modo Bonifacius à Colle ſe habebat; de quo hæc obſeruatu digniſſima reperi, primum; mira in eo vis orationis, contemplationiſq; rerum cæleſtium, quæ ſanctam viri mentem etiam inter medias negotiorum moleſtias, fluctuſq; ſuburrabat. 2. mira conſtantia, dum humi genua figens, ad Sicarij ictum ſtrenuus Sacerdos, promptiſſimè pectus porrigit, cui peccatorum abſolutionem liberrimè abnuerat. 3. eximia præditus charitate, duriſſima etiam peccatorum corda, ſcelera ſua illi fatentium, lachrymans ipſe, atque ſingultiens, ad lachrymas, ac ſeriam pænitudinem non raro induxit. Et ſuper hæc omnia, Venetijs Neapolim profectus eſt, mox Venetias reuerſurus; vt Mariæ Carrafæ fundationem Monaſterij S. Mariæ de Sapientia ſuaderet, atq; eidem in eo opere moliendo opem ferret; ſicut refert Tufus, quæ non ſunt hominis contemplationi ſolummodo vacantis.

Tuſ. in ſupp. cap. 95. f. 4.

Berar-

Berardinus Scottus, quem ob eximiam doctrinam, & probitatem Sanctiſſimus Paulus IV. Cardinalium Collegio coaptauit, Patribus Romę in generali Capitulo congregatis, ſanctè, & luculenter multa ſcripſit de methodo firmandi, prouehendiq; Ordinem; pręſertim de mulierum familiaritate vitanda; nihilominus ab earum confeſſionibus audiendis abſtinendos, aut eas minime docere non ſentit; his verbis: *Et ſi relinquere earum confeſſiones non poſſimus, nec remittere rectoribus ſuis regendas, atque docendas; elongemur tamen ab eis quantum poſſumus*, Ioannes Marinonius Comes B. P. Caietani, dum Neapolim anno 1533. ſe contulit, nouæ domus ſuę familię in ea ciuitate conſtruendæ ſtudio, vir maximæ dexteritatis ad omnia, ad quem omnes in neceſſitatibus vnanimiter confugiebant, vnicum omnium ſolatium, mæſtorum conſolatio, morientium præſidium, peccatorum refugium ab omnibus accitus, omnibus occurrebat; in concionando eximius; in oratione aſſiduus; in laboribus frequens quem concionantem auide auſcultabant omnes, admirantes, de his, quæ procedebant ex ore eius; præſertim celeberrimus verbi Dei præco Bitonti Epiſcopus Cornelius Muſſus. Et in Tridentina Sacroſancta Synodo veluti puriſſimum concionatorum exemplar, atq; ſpeculum habitum cunctis propoſitum cum de concionatorum reformatione agebatur, quem ob inſignẽ in agendis ſagacitatem, Paulus IV. Pontifex maximus Eccleſiæ Neapolitanæ ſui ſucceſſorem elegit, & Antiſtitem præficere maximopere concupiuit, ad quod munus obeundum ne cogeretur, & orationibus, & vi lachrymarum Sanctus ſenex obtinuit.

Nec omittendum puto Petrum Fuſcarenũ Veronenſem Pariſijs pręclara in illa vniuerſitate doctoratus laurea omniũ æſtimatione inſignitũ ſacræ theologiæ, ac Sãctorũ Patrũ peritiſſimũ, à Frãciſco Gallorũ rege Chriſtianiſſimo, fama tanti viri permoto, Eccleſiæ Barocenſi Præpoſitũ, & quod maximũ eſt, conſtanter honoribus cedentẽ, quorũ omniũ meminit Epiſcopus Acerraiũ. Huius autẽ
hiſt.Cler. viri memoratus ſum, nam Venetijs quatuor fermè annis priuſ-
*Reg.c.*10 quam S.Ignatius illuc peruenisset, ad noſtram regularem fami-
anno Dñi liam aggregatus fuit.
1532. Primos noſtros Patres mirifice operam nauaſſe in euertendis,

&

& profligandis hæreticis antequam Ignatius Venetias contenderet, teſtes, ſint epiſtolæ Carrafę, quæ in archiuo S. Pauli cuſtodiuntur, quarum fragmentum pauloante appoſui. Et mira quæ Caietanus Neapoli geſſit in effugandis Ochino, Petro Martire, & Valdes, & ſumma ſollicitudo catholicæ Matri Eccleſiæ aggregandi, qui falſis prędictorum ſuporum dogmatibus decepti, à recta veteræ fidei ſemita aberrauerant. Quare ſi Ignatius ſalutem animarum ſpectabat, & zelo complexus erat hæreticorum ad catholica caſtra reuocationem; iam quod concupiſcebat inuenit; vnde incitamentum excogitatum Ordinem noſtrum non amplectendi; feruentius, & auidius amplexandi fateri cogit. Et ſciat, quæ à maioribus noſtris, etiam in ipſo Religionis exordio, ad Dei gloriam, ad fidei orthodoxæ propagationem, & defenſionem, ad proximos in ſpiritualia prouehendos præclarè ſunt geſta; funditus omni conatu atterere, & ſi poſſet annihilare pœnitus velle, à ſe alienum omnino eſſe debere. Animaduerte quæſo dum perſuadere nititur Caietanum Venetijs adeſſe minimè potuiſſe, ne cum eo Ignatius agat; tunc omnem ſollicitudinem in profligandis hæreticis, in perſcrutando Ochinum, Neapoli exercebat detentus; Ouiculas, quas comparauerat deſerere nequiquam poterat, earum iam factus Pater; peccata ſibi confitentium audiendo iugiter occupatus: hoc remoto prætextu, peccatorum confeſſiones non auſcultabant, vitam ſibi tantummodo, proximis verò in nullo proficuam noſtri ducebant, vt hinc educat Ignatium, qui fidei dilatandæ erat ſtudioſiſſimus, ſe nobiſcum aſſociare voluiſſe, inueriſimile fuiſſe quàm maximè; quaſi in vnius ſitu poſitos [illegible], vel certè heremicolas noſtrates pro libito facere [illegible] intelligens, modo huc, modo illuc impelli, tanquam vento inflatum, & diſtentum. Si verum credidit noſtros à principio fidelium non audiſſe confeſſiones; nec etiam credat, aut alijs ſuadere nitatur Caietanum confeſſionibus audiendis Neapoli occupatum. Si occupatum exiſtimauit in illo .ſ. pietatis, ac charitatis officio; deſiſtat veritatis amator ab illo argumento, quod nihil continet veritatis.

DE PRÆSTANTIA PAVPERTATIS Clericorum Regularium.

In Hiſt. diſp. §. 18. *num.* 65. 71. §. 20. *num.* 76. 77.

ANIMADVERSIO XIII.

QVam actione, & contemplatione ornatam Patres noſtri edidere familiam, inſigni, atque illuſtri paupertatis obſeruantia etiam decorare conſuerunt; Hæc ſiquidem virtus amica ſponſi, ordine prima eſt, vt ait Ambroſius, & parens quædam, generatioq; virtutum, cuius cæleſtium diuitiarum abundantia, quæ exuperant omnem ſenſum, nos eorum filios, & hæredes augere, & locupletare cupientes, hæc de paupertate Apoſtolico ſpiritu in Conſtitutionibus noſtris præſcripſerunt nobis.

Part. 2. *cap.* 1. „ Paupertas expedita ad Deum via, & religioſæ Christi familiæ magnum, certumq; vectigal publicè, priuatimq; exercenda eſt. Nemo igitur omnino aliquid poſſideat proprium, ſed omnes in communi, & de communi viuant; elemoſynæ, ac bona omnia, ſiuè confeſſarijs, ſiuè prædicatoribus, ſiuè quibuſuis alijs, à quibuſcunq; ſiuè conſanguineis, ſiuè extraneis, quocunq; nomine datæ ſint, ad ſuperiorem delatæ, in communi reponantur, diuidantur autem à ſuperiore prout cuiq; opus fuerit.

„ Et ſi, neq; per profeſſionem, neq; per ſacros canones prohibeamur annuos reditus in communi poſſidere, per Concilium autem Tridentinum id nobis ſit conceſſum; nihilominus (voluntariè tamen, vt nullo vnquam vinculo adſtringamur) ab illis abſtinemus, quo à ſæcularibus negotijs liberiores paupertatem Christi Domini Apoſtolorum, & multitudinis illorum, quibus cor vnum, & anima vna fuiſſe legitur, imitemur.

„ De altari, & Euangelio viuere nos Clericos oportet, & ex ijs quæ ſponte à fidelibus offeruntur; Itaque neque per nos ipſos, neque per alios petantur à ſæcularibus eleemoſynæ, ſed tota ſpes noſtra in Christi Domini verbis poſita ſit, qui

„ ait.

„ ait. Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc
„ omnia adijcientur vobis. Sęcularibus ne permittatur, vt tan-
„ quam quæſtores petant pro nobis eleemoſynas: Quod ſi no-
„ bis inſcijs id facere ſint aggreſſi, cum primùm ad nos perlata
„ res fuerit prohibeantur.

Certè hoc præſtantiſſimum paupertatis genus eſt, & propemodum diuinum, excellentiæ magnæ, imò diuinitatis, hoc quippe claro præconio illud potiſſimum commendare libuit Caietano Cardinali ampliſſimo, præcipuo Sancti Thomæ interpreti. 2. 2. qu. 188. a. 7.

Verùm primò obiecit Nigronus, nobis ex regula, vel conſtitutione non prohiberi in communi poſſidere reditus, aut poſſeſſiones pro victu neceſſarias. §. 18. nu. 71. Sed miror hominem inter primarios grammaticæ profeſſores enutritum, diuq, verſatum, ſimplicia conſtitutionum noſtrarum verba non penetraſſe; ſiquidem ille dicendi modus, peccatum tantummodo, & culpam à trangreſſore auertit, quam ſemper conſtitutiones noſtræ excludunt, non tamen regulare præceptum, ſeu ordinationem; ſimile huic habetur cum de ieiunijs agitur. Ieiunamus, inquit, ly abſtinemus, ieiunamus, &c. eſt, ac ſi diceret; Abſtinendum, Ieiunandum, Abſtineant, Ieiunent; quod, & eiſdem fermè verbis in regula S. Pachomij expreſſum habetur. 2. p. c. 3. Hoc autem ſufficere; nempe, vt à regula ſit nobis iniunctum, nec ipſe Nigronus inficiatur, qui proſpiciens negari hoc minime poſſe, ad diſtortam conſtitutionis interpretationem, ſed inutiliter, confugit. Nec illi dicere proficit poſſe nos, ſi velimus, & immobilia, & reditus poſſidere; non enim hoc velle poſſumus niſi conſtitutionibus immutatis, quibus regimur, & tuemur. Hoc prætereà eſſet prudentum ſacrorum ordinum conditorum laudabiles ſanctiones obliterare, nè dicam, inefficaces reddere, & eneruare, qui non coactè, ſed ſpontaneè ordinationum obſeruantiam ſuis regulis exigunt, culpam omnino ablegant, cuiuſmodi ſunt conſtitutiones illuſtriſſimi Ordinis Sancti Dominici, & ante eum S. Benedicti monachorum parentis optimi.

Secundo congeminat argumentum, plures virtutes exerceri mendicando, quam abſtinendo à mendicatione, humilitatem, §. 20. nu. 76. ſcilicet, patientiam, religionem, charitatem ergà proximum,

Digitized by Google

ex S. Thom. & alijs magiſtris chriſtianorum. Hinc, vt perfectiſſimum paupertatis gradum, & Chriſti imitationem continentem mendicationem in Societatem à S. Ignatio introductam, qui voluit aſſumere illum gradum paupertatis, qui perfectiſſimus in Eccleſia Dei cenſetur, & cui conſtans, & perpetua fuit propenſio imitandi Saluatorem, quem probabile eſt mendicaſſe.

2.2.q.187 a 5. opus. 17. c. 16. Reſpondeo, cum apud S. Thomam, neq; in ſumma, neq; in opuſculis, quibus in locis de mendicantibus diſſerit S. Doctor, inuenerim quod aſſeritur, & aliorum, quos chriſtianos magiſtros appellat, nec nomina, nec loca citentur, optarem proinde, vt quæ in probationem dicta inducuntur eorum loca pariter innuantur; ſed nunquid indicari poteſt, quod nunquam illos dixiſſe ratio monet? niſi fortaſſis ad ſummum ob comparationem illorum, qui prædia poſſident, certiſq; reditibus viuunt, quod nihilominus in præſentiarum nihil conducit. Cæterum, charitas erga proximum, & religio ſatis remotè, vel per accidens mendicando exercentur, ſicut in cæteris actibus virtuoſis, & in non mendicando eodem quoque modo exercentur. Reliquas vero virtutes præcipuè patientiam, quæ per ſe, & immediatè exercentur mendicando, nos, qui de ſponte datis viuimus, egregiè, atq; præſtantiſſimè exercemus; dum patienter, & humiliter ſuſtinemus, miſericordiam Dei expectantes, & obſoniorum parcitatem longaminiter toleramus. Præterea viuendo tantum ex oblatis, immediatè, & per ſe exercetur alia virtus longè nobilior, & altior humilitate, & patientia, cuiuſmodi eſt confidentia in Deum, ſeu fides, quæ virtus theologalis eſt ſecundum theologos, & in ordine altiori ad alias virtutes. Nec quempiam latere debet perfectionem, haud pluralitate virtutum, ſed nobilitate metiri; hinc longe perfectior homine eſt Angelus, & ſi præter intellectiuam, & motiuam, etiam virtute ſenſitiua, interna, atq; externa præditus ſit ille, quã non cumulatus eſt iſte; & nobilior eſt parua quantitas auri, multa plumbi, vel æris; & lapillus pretioſus, quamplurimis coctis lateribus, atq; cœmentis. Si S. Ignatius voluiſſet aſſumere illum gradum paupertatis, qui perfectiſſimus in Eccleſia cenſetur, quiq; conſtituit religioſos verè, ac propriè mendicantes, vtiq; aſſumpſiſſet,

pſiſſet; quem venerabiles, atq; religioſiſſimi PP. Cappuccini, atq; aliæ nobiliſſimæ religioſorum familiæ ſanctiſſimè colunt. At nemo eſt, qui neſciat hos maiori perfectioriq; paupertatis radio in Eccleſia Dei præ illis ſplendeſcere. Iniunxiſſet adhuc ſpectatiſſimum hoc paupertatis genus cunctis ſuæ regulæ ſectatoribus, neq; omnes propemodum locupletes, pauciſſimis poſſidendi incapacibus, conſtituiſſet, atq; illi ipſi adhuc capaces dominij, vt independenter à conſenſu ſuperioris valide, licet illicitè, diſponere poſſint de facultatibus ſuis, quas vel ante vota acquiſierant, vel poſtea iure hæreditario acceperant, ſeu inter viuos, ſeu mortis cauſa, vt Sanchez, & Laiman ambo eiuſdem Societatis docent. *lib.7.moral.c.18.*

His addam, quæ doctiſſimè docuit Eminentiſſimus S. Thomæ Aquinatis interpres alter Thomas de Vio Caietanus S. R. E. Cardinalis ampliſſimus. Do verba Dubium occurrit, an *l.4.tract.5.cap.7.nu.3.*
„ laudabile, ſeu licitum ſit hominem diuitem, retentis diuitijs, *2.2.qu.*
„ ad tempus mendicare victum proprium, humilitatis gratia; *187.a.5.*
„ Et eſt ratio dubij, quoniam apparet hoc vituperabile, quia *ad 2.*
„ mendicus debet eſſe pauper. Vbi gloſa dicit, mendicus di-
„ citur, qui ab alio petit, pauper, qui ſibi non ſufficit, men-
„ dicans, ergo diues inuenitur faciendo ſe pauperem quod eſt
„ illicitum. Ad hoc dicitur, quod diuitem humilitatis gra-
„ tia ad tempus mendicare, contingit tripliciter 1. abſolutè,
„ vt non ſolum mendicet, ſed de acquiſito ex mendicitate viuat,
„ vt actus mendicandi ſit ob abiectionem, & actus veſcendi
„ ex talibus ſit propter auſteritatem victus; & huiuſmodi men-
„ dicitas licet poſſit eſſe vtilis ſaluti animæ alicuius particu-
„ laris perſonæ ſic diſpoſitæ, vt non niſi iſto modo ſciat has
„ virtutes acquirere; regulariter tamen loquendo incompacta,
„ ac indiſcreta mendicitas eſt, ac per hoc vituperabilis; men-
„ dicum enim propriè oportet eſſe pauperem, alioquin actus
„ diſſonat à perſona, debet enim humilitatis actus conformis
„ eſſe perſonæ, nec rectitudo diſcretionis habet, vt auſterita-
„ tem vitæ diues ex his, quæ pauperibus dentur comparet,
„ niſi fortè ipſe longè largius refunderet pauperibus. Hæc ille, quæ ſine detrimento regulæ S. Ignatij dicta ſint, lex quidem Sancta, vt Apoſtolicis verbis vtar, & mandatum Sanctum;

Et

Et abſit à me, vt vilis terræ vermiculus, & miſerrimus peccator improbare audeam, quod Sancti Sanctè condiderunt; ſed ad infringendum aſſumptum non firmum, voluiſſe S. Ignatium aſſumere illum gradum paupertatis, qui perfectiſſimus in Eccleſia cenſetur; honor ſiquidem Regis iudicium diligit, imò adeo à ſummo perfectionis diſtat, oſtiatim quandoq; eleemoſynam quæritare, quod ſuis iniunxit, qui ſufficientibus, ne dicam copioſis, atq; opulentis reditibus enutriuntur, & ſubſtentantur; vt ex doctrina Cardinalis Gaietani, an licitè fiat in dubium verti poſſet; Et confirmatur ex ijs, quæ ipſemet Nigro-
§.20.nu. nus paulo inferius docet. *Omnes mendicantes bona conſcientia, cum*
77. *oblata ſufficiunt abſtinent à mendicando.* Nihilominus, quod ſanciuit S. Ignatius bonum eſt, irreprehenſibile eſt; veruntamen non illius eximiæ perfectionis, quæ perfertur. Vt enim optimè
opus.17. S. Thom. nullus eſt, qui omnes ſupererogationes poſſit implere,
cap.16. cum vnus in vno, & alius ſuperabundet in alio; hoc teneas, & noli ambulare in magnis, neque in mirabilibus ſuper te.

Amplius; quam infirmum ſit dicere. S. Ignatium voluiſſe aſſumere illum gradum paupertatis, qui perfectiſſimus in Ec-
Animad. cleſia cenſetur, recolantur, quæ ſupra ex eorundem DD. ſen-
10. tentia de ſua Societate vera Religione ſunt dicta; ſtatum, ſcilicet, non omnino firmum, quoad maximam ſui partem, quæ eiectioni eſt obnoxia. Votum caſtitatis, ſimile votis ſæcularium Clericorum, quod non dirimit matrimonium ratum. Votum paupertatis exile, & hoc, quia retinent dominium bonorum ſuorum, quo quidem inuiti expoliari non poſſunt, ex quo ſequitur tenuitas voti obedientiæ; etenim quoad dominium bonorum temporalium, quod retinent non ſunt ſubditi ſuis ſuperioribus, à quibus inuiti illis expoliari non poſſunt, neq; cogi vt alijs cedant, neq; ipſi ſuperiores, ſine ſubditorum conſenſu, cedere. Sicut enim Religioſi in vniuerſum, quia retinent dominium bonorum ſpiritualium, his certè priuari nequaquam poſſunt, poſſunt agere nomine proprio ſuper iure eligendi ſibi competente, & iure alimentorum, & iure manendi in tali, & tali monaſterio, quia per votum paupertatis non renuntiant bonis ſpiritualibus, nec iuribus prædictis, neque honoribus qui

ex talibus debentur; ſed tantum temporalibus; vt docet Leſſius, *a* qui citat. S. Thom. *b* Caiet. *c* & Nauar. *d* ſic profeſſi ſocietatis, pauciſſimis quatuor votorum exceptis, quia retinent dominium bonorum temporalium, circa hæc ea omnia agere poſſunt quæ religioſis omnibus quoad bona ſpiritualia competunt; vnde clarè dignoſcitur, nec quoad paupertatem, quinimò quoad omnia vota nullo modo illum gradum ſuæ Religioni aſſumpſiſſe, quoad omnes, qui in Eccleſia Dei præſtantiſſimus cenſetur, ſed quem ad præſcriptum ſibi finem magis appoſitum exiſtimauit. Et ideo Dominici Sacratiſſimi Aduentus, 2. & 3. feriæ ante Cineres ieiunia non recepit, quæ arctioris obſeruantiæ Religioſæ familiæ completè cuſtodiunt; nec tandem Regularia Ieiunia, abſtinentias, ciborumq; parſimonias, quas Religiones omnes diuerſimode tamen, complexæ ſunt, in ſua Societate admiſit. Choro quoq; ſuos carere voluit, quem colere, & frequentare ſummæ perfectionis indicium eſt, pſalmodia ſiquidem cæleſtium Spirituum æmulatores efficimur, qui inceſſanter Sanctus Sanctus Sanctus proclamant, & ſupernæ Ieruſalem agminibus pſallentes iungimur; cuius ſtatus, vt Boetius docet, omnium bonorum eſt aggregatione perfectus; Cuius, ſi quod, vel exile veſtigium reperitur in ipſis, Paulo PP. IV. acceptum referant, cuius deſiderij vota prænoſcens Ignatius, feſtiuis diebus Miſſam, & Veſperas in ſuis Eccleſijs ſolemniter celebrari præcepit, non ergo perfectionis faſtigium præ cæteris ſibi aſcribant, qui infra cæteros tot perfectioris obſeruantiæ pretioſis monilibus non ornantur.

a de Iuſt, & Iure. lib. 2. c. 4 dub. 5. n. 26.
b 2. 2. q. 186. a ad 4.
c ibidem.
d q. 1. de redditibus monito 9. com. 3. de regularibus.

Quod deniq; dicitur S. Ignatium conſtanti, ac perpetua propenſione voluiſſe imitari Saluatorem, non ambigo; ſed hinc quid ſequitur? illud certè, propenſionem mentis Ignatij ad noſtram paupertatem amplexandam; Si enim ex eo quod probabile credunt præſertim S. Ber. & S. Thomas Aquinas, nec inficiatur Saluatorem aliquando mendicaſſe, propenſio animi Ignatij ad mendicationem infertur, & aſtruitur; multo magis hinc deducitur voluiſſe nobiſcum viuere ex oblatis, quod Chriſtum feciſſe, non probabiliter, ſed certò Lucas, & Ioannes ſuis Euangelijs ambo tradiderunt. Nihil igitur ſecundum hoc probat Argumentum.

Ser. Dom. infr. oct. Ep. 2 2. q. 187. a 6. Luc. 8. Io. 12.

§.12.*nu.* Tertiò inſtat; non minus pendere ex diuina prouidentia vi-
77. uentem mendicatu, quam ex oblatis; hoc certè neſcio quo-
nam modo ex ſententia S. ſui Patris Ignatij dici poſſit, nec
vnquam credam prudentiſſimum patrem veſtrum arbitratum,
non minus à diuina prouidentia pendere viuentes mendicatu,
quam ex oblatis; nam, qui mendicant vtuntur vtiq; induſtria,
& prouidentia humana; quare non omnino à diuina prouiden-
tia pendent. Quod verò S. Franciſcus libentius vteretur mendi-
catis; non ea fuit ex cauſa, quia putaret mendicata magis à
diuina prouidentia prouenire, ſed vt eam regulam confirmaret,
quam ſibi, ſuiſq; ſeruandam rigida integritate propoſuit. Cur
Opuſc. autem mendicantem vitam inſtituerit. Reſpondet S. Thomas, non
17.c.16. omnia ſupererogationis opera, à quolibet Sancto exerceri præ-
ceptum eſſe.

Si petiturus eleemoſynam incertus eſt, tum ante petitionem,
tum in ipſa petitione, vtrum daturi ſint eleemoſynam, qui ro-
gantur. Si vllam actionem ciuilem mendicus habet ad extor-
quendam ſtipem de manu diuitum. Si diuites quamuis cum
rogantur ſæpè iure naturæ, aut alio nomine debeant egeno,
quod petit, tamen, aut non putant eum egere, aut non ani-
maduertunt, aut claudunt viſcera miſericordiæ; Perindè fit, vt
ſæpe mendicus repulſam patiatur, & interdum malis verbis
acceptus cogatur ſe diuinam miſericordiam cogitatione, ſpeq;
redire. Hæc omnia non probant magis hos diuina fulciri pro-
uidentia; quàm qui abſtinent à mendicando; quis enim neget
magis per humanam induſtriam excitari, & moueri, qui roga-
tum dare, quam qui non rogatur; Obiectum miſerationis pate-
factum, & cognitum facilius miſerationem conſequitur, vnde
ſemper certior eſt mendicans de colligenda ſtipe, quam non
mendicans.

Supra nu. Quartò obiecit, inſtitutum viuendi ex oblatis non eſſe poſſe
70. perpetuum. Si datur quid firmius verbo Dei, concedo illam
conſuetudinem viuendi tantum ex oblatis non eſſe poſſe perpe-
Math.24 tuam; at lego, *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non*
Pſ. 54. *præteribunt*; crebrâ autem Sacrarum paginarum reiteratione mo-
nemur. *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. Om-*
1. pet.5. *nem ſollicitudinem veſtram proijcientes in eum, quoniam ipſi cura eſt*

ſte vobis. Confide in Deo, & mane in loco tuo. facile eſt in oculis Dei ſubito honeſtare pauperem. Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperauit in Domino. *& cõfuſus eſt* Hoc pulchrè S.Petrus Chryſologus. *Vſura mundi centum ad vnum, Deus verò accipit ad centum, & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum; ſunt forſitan de cautione ſolliciti? Quare? Nonne homo homini exigua cartula obligatione conſtringitur? Deus tot, & tantis voluminibus cauet, & debitor non tenetur? Sed dices, eſto quod debeat, quo exigente reſtituet? ſeipſo, qui non poteſt ille mentiri, idem ipſe eſt, & executor, & debitor.* Contrarium ergo affert, quàm tutum ſit, qui legit intelligat. Eccl. 2. Ser. 25.

Quintò vrget, naturæ legibus arctamur neceſſaria poſtulare. Quid mihi obiectas naturæ leges, qui illam viuendi formam ſequor, vt Ambroſij vtar verbis, *quam nec natura ſuis incluſit legibus? quis autem humano eam poſſit ingenio comprehendere, aut quis naturali voce complecti, quod ſupra vſum naturæ ſit? è cœlo accerſiuit: quod imitaretur in terris*, Quis tantum cum inuenerit relinquat boni? §. 20. n. 77. *lib. 6. de Virgin.*

Sextò opponit. Mendicitas ex Alfonſo de Caſtro definitur; neceſſitatem ſuam, ſiuè per ſe, ſiuè per alium aperire: ergo, qui per amicos ſignificat ſibi deeſſe neceſſaria, dicentes vinum, aut panem non habent, velit, nolit, mendicat. hoc argumentũ nos non ferit, quibus ex Conſtitutionibus cautum eſt, vt neque per nos ipſos, neq. per alios petantur à ſæcularibus eleemoſynæ, &c. Imò, quod ſi nobis inſcijs id facere ſint aggreſſi, cùm primum ad nos perlata res fuerit, prohibeantur: quod mirificè exercuit B. noſter Ioannes Marinonus, Excellẽtiſſimæ Marchioniſſæ Piſcariæ, ſeù Vaſti: quã (in nos pia miſeratione cõmota) coegerat pecuniam, qui, hiemali frigidiſſima tempeſtate, ligneas feneſtras nouæ fabricæ perficere nõ poteramus, magna voluntate remiſit, iniuriæ potius ſubeſſe tẽporis eligens, & acris inclementiam ſuſtinere, quam laudabiles noſtras ſanctiones infringere. B. Pater noſter Caietanus non ſemel pane tantummodo, nullo alio obſonio appoſito, cum ſodalibus refectus eſt, non hominum, aut amicorum expectans miſericordiam, qui ſuam indigentiam publicarent, quem certè nos imitari nunquam piguit: quare innumirabiles pene huiuſcemodi actus §. 20. n. 77. *2 p. c. 1. In vita B. Io. c. 5. vita B. Caiet. c. 4. 5 6.*

 enume-

enumerari poſſent. Non tamen ideo prætermittam,ab illo antecedente,ab Auguſtino ante Alfonſum de Caſtro,excogitato, haud illud inferri conſequens, vt ſi quis aliquid in neceſſitate poſitus amicorum interceſſione accipiat, illud propterea mẽ-
Aug. in Pſ 108. Io.2. dicaſſe dicatur.Quædam enim quandoque,dicunt patres, per ſimilitudinem, non per proprietatem; ſecus, mendicaſſe dici poſſent,qui nuptias fecere in Cana Galilex,quia deficiente vino pijſſima Virgo dixit ad Ieſum. *Vinum non habent.*

§.18. n. 65. Septimo,& vltimo, vltimas exerit vires ſic. Ordo Clericorum Regularium redituum, bonorumq; ſtabilium poſſidendorum eſt capax,ergo non eſt in faſtigio paupertatis. Cui facile reſpondetur: non ex incapacitate poſſidendi reditus, bonaq; ſtabilia : ſed quia ea vltro reſpuimus, noſtra commendatur paupertas: & multo magis,quia non è mendicata ſtipe, ſed e ſponte oblatis, Apoſtolico more, viuimus : Illud adimplentes,
In ann. ad Mar. ſub die 29.Iun. quod de nobis, grauiſsimis verbis protulit Eminentiſſ. Baron. *Clerici Regulares in præcipuis Italiæ ciuitatibus priſtinam illam Apoſtolicam viuendi formam ex integro redditam ſanctè,pièq. colunt* : Hoc autem excellens ſeuerioris paupertatis genus, nec S.Ignatius meditatus eſt,neq. domibus profeſsis,quæ ſunt capita Religionis tenendum reliquit.

Hoc autem præcipuo viuendi modo mirabilis vtilitatis fructum,& pergratam vtilitatem percipiunt omnes, admirantes cœleſtem hominum vitam ab omni prorſus terrenarum rerũ affectu disiunctam, quare quas illis vltrò tribuunt eleemoſynæ omni laude cumulatæ, meritorum magnitudine cæteras antecellunt:nam,& ſi poſcentibus bene facere valde ſit bonum, expectare nihilominus, vt petatur,excellentiam minuit meritorũ:neq. dici poteſt,quod omninò liberaliter quis largiatur, cuius pretium omnium maximũ reputentur preces: imò nihil
att.214. eo carius emi, pro quo preces funduntur: Vnde Cicero. *Profectò hinc natum eſt,malo emere quã rogare*:quod, & antiquos ſapiẽtes cõmuniter opinatos eſſe confirmat Seneca dicẽs. *vt ma-*
lib.2. c. 1. de benef. *ioribus noſtris grauiſſimis viris viſũ eſt, nulla res carius cõſtat, quã quæ precibus empta eſt.* Hortatur proinde, vt amicorũ præueniantur preces,eorũq; voluntates,& inopias priuſquã per ipſos nobis innoteſcãt aucupari curemus:ne tardius beneficiũ impẽ-

datur

datur, *Sero beneficium dedit* (dicit ipſe) *quod roganti dedit, ideo diuinanda cuiuſq. voluntas, & cum intellecta eſt neceſsitate grauiſsima rogandi liberanda eſt.* Dauidis ſecutus conſiliũ concinẽ- *Pſa.* 40.
tis. *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperẽ:* quod ſic explicat S. Thom. Qui intelligit, non dicit, qui habuerit, quia debet eſſe miſericors ad modũ Dei, ſed Deus non expectat, quod ſẽper petatur: vnde ſubuenit deſiderio, antequã petatur, & ideo ille eſt miſericors, qui non ſolum petentibus ſubuenit, ſed etiã indigenti ſubuenit, priuſquãm petatur: Fauet his, quæ iam diximus præclara S. Hieronymi authoritas, *In ſanctis pauperi-* *aduer.*
bus beatitudo eſt intelligentiæ, vt ei tribuat, qui erubeſcit accipere, *Vigil. c.*
& cum acceperit dolet metens carnalia, & ſeminans ſpiritualia. 53
eiuſdẽ quoq. mentis S. Io. Climacũ extitiſſe illa declarãt verbã *Gr.* 25
Opus animi pii eſt dare omni petenti cognoſcendo eius neceſsitatem, & magis eſt pium dare non petenti: quare ſicut maioris eſt perfectionis non rogatum donare, ſic maioris vtiq. perfectionis eſt, nequaquam hominibus neceſsitatem ſuam aperire: Sed Dei miſericordiam expectare. Hinc Nos, qui hanc regulam ſequimur, Are- *lib* 4.
ſius noſter Eruditiſsimus Derthenẽſis Antiſtes, dupliciter Dei *Impreſ.*
eſſe filios docuit, iuxta illud Io. *Dedit eis poteſtatem filios* Dei 111.
fieri, ijs qui non ex ſanguinibus, neq. ex voluntate carnis; ſed ex *Io.* 1.
Deo nati ſunt: nam præter eam, quæ omnibus communis eſt filiatio, ea potiori modo perfruimur, quæ perfectorum eſt, de qua, *eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: Si- *Matt.* 5.
quidem perfectius eſt de oblatis quam de mendicatis viuere.

Porro differere vtra religioſa Familia: Societas ſcilicet, an noſtra, ſtrictiorem paupertatem ſit amplexata, & odioſus, & inutilis labor eſt, quem mihi communis ſententia, & vniuerſalis prudentum opinio ſubtrahit; à qua non niſi temere recedi poteſt, vox enim populi uox Dei eſt. habeo igitur, qui cauſam meam agat, ipſa certe agnita ueritas, & hoc mihi ſat eſſe poteſt, & debet.

Digitized by Google

QVAM NOSTRI NOVITAS INSTITVTI apud omnes excitauerit admirationem.

In Hiſt. diſp. §. 18. nu. 65.

ANIMADVERSIO XIV.

IDem fermè ſubiectum proſequi cogor adhuc, in quo duabus præcedentibus Animaduerſionibus diù verſatus ſum, vt Nigrono ſatisfaciam, qui ad arbitrium oppugnator, nihil noui prorſus, nihil ſpectabile, aut certè admiratione dignum in Ordine noſtro decernit, quem tamen admirati ſunt vniuerſi. Quãobrem, Antonius Cardinalis Carrafa ad noſtros lepide referebat illud actorum, in Apoſtolorum excelſum præconium prola-

cap. 5. tum. *Cæterorũ autem nemo audebat ſe coniungere illis: ſed magnificabat eos populus, quaſi Diuinum aliquod, & venerabile:* Apoſtolicis viris Apoſtolorũ ingentem laudẽ tribuens. Quod quidem

In oſc. ad reg. Soc. Nigronus quoq. quamuis ad aliud illud traduxerit, excerpſit tamen ex nomine, quod à vulgo ſortiti ſumus, Theatinos nos appellantes: Theos quippe Græcè, Diuinum latinè dicitur. Veruntamen audiamus primum, quid pro ſe dicat Nigronus, ne (quod certè iniquum eſt) antequam audiatur, damnetur.

Primò. Igitur opponit his in nullo prorſus immutatis verbis *Non equidem video magnam nouitatem in eorũ conſtitutionibus, ſimillima videntur aliarum Religionum Regulis.* cui protinus reſpõdeo: quid per nouũ intelligat? ſi ſic dictum putat, ſicut ſcri-

Eccl. 1. ptum eſt. *Nihil ſub ſole nouum: quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt: quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciendum eſt.* vbi pulchrè Hieronym. *eſt ne verbum de quo dicatur, vide hoc nouum eſt? iam enim fuit in ſæculis, quæ fuerunt ante nos.* Conſentio quidem, verum hoc mihi nullo modo officit: an ignorat primos fructus nouos appellitari? vulgò dicuntur fructus nouelli quamuis præteritis annis eiuſdem ſpeciei alios, atq. alios ſæpè

Eph. 4. deguſtauerimus. Paulus quoq. monet. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecũdum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.* In quo equidem ſenſu multas, & magnas nouitates in Conſtitutionibus noſtris comperiſ-

ſe

ſe fatendum eſt. Illa in primis memoranda; Annuis reditibus etiam in communi abdicatis, neq. per nosipſos, neq. per alios poſſe nos à ſecularibus petere eleemoſinas, tota ſpe noſtra in Domino poſita: quod quidem in aliarum Religionum Regulis minime legitur quoue à cunctis diſtinguimur, & ſeparamur: omnes enim, vel communibus reditibus ſuſtentantur, quod per ſacros canones illis permiſſum eſt, vel reditibus renunciantes, mendicatu aluntur, & hi paupertatem eximie colunt, vel cenſus, ac mendicatum reſpuẽtes, ſublimiori perfectione Domino famulantur, & hoc à noſtratibus inſtauratum fuit, qui nihil omninò poſſidemus, nihil prorſus ab hominibus petimus, Dei miſericordiam expectamus. hinc, vt diximus Eminentiſſimus Baronius tribuit nobis quod nemo tollere debet à nobis. ait enim. *Clerici Regulares in præcipuis* Italiæ *Ciuitatibus priſtinam illam apoſtolicam viuendi formã ex integro redditam ſancte, pieq. colunt.* ea omnia complete à noſtris inſtaurata memorans, quæ mira atq. præclara excellentiſſimæ paupertatis geſſerunt Apoſtoli primi Clerici Regulares, quorũ veſtigia nouiſſimis tẽporibus primi omniũ ſecuti ſunt Patres noſtri, vere homines Apoſtolici ſpiritus, quod non omnibus datum eſt. Cum primum in Oratorio Sanctæ Dorotheæ in Vrbe Clerum reformare aggreſſi ſunt Patres noſtri, innumera fere inſignium virorũ multitudo, qui Oratorium frequentabant illis adhærere cæperunt, certatim Thienæo ſe ſocios exhibentes. Verumtamen cum de hoc precelſo viuendi modo intellexerunt, exterrefacti continuò receſſerunt, ſupra humanum exiſtimantes, quod Patres facere decernebant. Etiam Romana aula, quod tunc Patribus noſtris auctoribus per eam circumferebatur admirãs vidit: difficultatibus (quod nouis omnibus contingere ſolet) exortis permaximis, vt Sãctæ nouitati triumphus de earum victoria, prout feliciter accidit pararetur. Porrò noſtri Inſtituti ſingularem excellentiam, & admirabilem nouitatem magni faciens ſummus Pontifex Vrbanus Octauus, ea humanitate, qua noſtram proſequitur Religionem Patres alloquens, qui Capitulo generali anno 1627. interfuturi erant, poſt celebratam Caietani Thienæi Sanctimoniam, poſt cõmendatũ acerrimum zelum Sanctiſſ. Pontificis Pauli IV. cui plurimũ debere Sanctam Apoſtolicam

part. 1. cap. 1.

In annot. ad mar ſub die 29. Iunij.

Sedem

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA

Sedem teſtatus eſt, poſt noſtratſi genus illuſtre, diſciplinarum; concionumq; ſplendorem, ac Regularis obſeruantiæ cultum, ad noſtrum inſtitutum ſermonem conuertens, ſingulare prorſus, atq; præcipuum Sanctæ Eccleſiæ decus, & ornamentum eſſe dixit: quare omni conatu ad incorruptum ſeruandum, prout facimus, hortabatur, ne tam ſingulari bono Orbis vniuerſus priuaretur. Vide ergo quomodo Pontifici nouum ſapiat, quod non ſapit Nigrono: Præclarum quoq; illud, mira, & ingens prudentia, qua decorem, dignitatemq; Clericorum fouerunt, ſubli miori paupertatis cultu in protectione Dei cæli ſperãtes, quod quidem humana tranſcendens ad diuinitatis vſq; ſolium ſe extollit, vt peracutè docuit Eminentiſſimus Cardinalis Caietanus, ac propterea non omnibus iniunctum, eo quod ſupra vſum naturæ ſit. Hinc excuſpare libet amicum, qui magnam nouitatem in Conſtitutionibus noſtris ſe non vidiſſe teſtatur: quippe qui ab inopinatæ nouitatis nimio ſplendore correptus, eam continuò facile non agnouit. Item Eccleſiarum nitor, & cultus, quibus nulli ſecundi habemur, quiue tantæ paupertati cõiunctus, certè à Domino factum videtur, & eſt mirabile in oculis omnium. Vt quam plura dimittam, cuiuſmodi ſunt. Tempus hoſpitij ante annum probationis. Veſtes hoſpitum diuerſæ à veſtibus Nouitiorum. Habitus Clericalis in anteriori parte clauſus, & latis manicis Monachorũ ſimillimus. Protractio Iuris ferendi ſuffragia. Modus pſallendi. Ablegatio onerum in perpetuum. Decretum ne in ſacris indumentis familiarum inſigna ponantur, & huius generis ferè innumerabilia.

2, 2. qu. 188. ar. 7.

Secundo opponit. Etiam tunc in aliquot congregationibus integra vigebat Regulæ obſeruantia, quibus Monachorum, & Clericorũ munera obeuntibus, noſtra vtriuſq; coniunctio, nec nouitatem, nec admirationẽ parere poterat. cui reſpõdendum puto, illos re, & habitu monachos Clericorũ etiam miniſteria exercere. Nos verò re, & habitu Clericos, quæ Clericorum ſunt munera omninò tractamus, Monachorum quibuſdã arctioris vitæ ſtudio additis obſeruãtijs; Illud magnum, & mirabile, nec nouum erat, nec mirabantur homines, quia vſitatum; hoc nouum, & mirabile, quia illud vitæ genus ab Apoſtolis inceptum, & interiectis ſæpe temporibus à pleriſq; Sãctiſſimis viris

viris innouatum, nouiſſimè à noſtris tunc demum Deo fauente excitatum fuerat: nec immerito quidem: Videmus quippe, quolibet per aera ferri quotidie volatilia; non tamen quiſquam miratur: at ſi vix homo pennas ſemel aſſumens, vt Aquila volaret (quod S. Iſaias myſtice cecinit) mirarentur omnes, omnes obſtupeſcerent: quare? reſpondet S. Auguſtinus. *Quia hoc rarum eſt: illa aſſiduitate viluerunt.* Nuſquam, & nunquam certe hac noſtra tempeſtate viſi ſunt ante nos Clerici, qui pennas contemplationis aſſumentes, vt aues Cæli volitarent, nam vt bene S. Gregorius Papa. *Quid per pennas niſi volatus exprimitur? per pennas in altum auium corpora ſubleuantur: per contẽplationẽ verò, qua ſupra noſmetipſos tollimur, quaſi in aera leuamur.* Deinde tanquam homines e cælo illapſi cum hominibus conuerſantes, hominibus ſalutaria miniſtrarent. Cum autem hoc inſtitutum à noſtris excitatum fuit, non homines, ſed Angelos, ſed Deos videre viſum eſt omnibus: teſtantur hoc Epiſtolæ Pauli IV. Summi Pontificis, tunc Ioannis Petri Carrafæ ad Mariam ſororem: *non accepiſti.* inquit, *iam dictos meos fratres, vt homines miſſos ab hominibus, ſed vt Angelos Sanctos, a Diuino numine delegatos.* Nemo ergo miretur (diceret Ambr.) ſi Angelis cõparentur, qui Angelorum Domino copulãtur: quid mirũ, ſi non terreos, ſed cæleſtes in cælum trãslatos, quibus cæleſtia famulantur nos præfiguratos expreſſit Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta in ſua Apocalypſi diuina. Hæc ſunt verba ipſius. *Signum magnum apparuit in Cælo: mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim, & in vtero habens, & clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pareret:* quibus, ſicut Eccleſiam ſignificaſſe, mens eſt Auguſtini, ſic etiã noſtram præfiguraſſe familiam non ambigitur, quam, Sanctæ Eccleſiæ idem Auguſtinus germen pium, examen nouum appellitaret: quæ bene Lunam pedibus calcat, terrena omnia ſpernens, nihil ſibi retinens, nihil in terra quæritans, e cælo expectans auxilium, & cum Petro dicit. *Ecce nos reliquimus omnia:* & cum Paulo, *nihil habentes, & omnia poſſidentes* Sole circumtegitur, etenim ſola in ſolius Dei protectione gloriatur, Coronatur ſtellis, tot ornata Doctoribus, & Põtificibus decorata. ſiquidẽ, *qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtella in perpetuas*

Iſa. 40. | Ho 3. in Ezec. | Cara. in vit. Caiet. pag. 229. | Ser. 1. de Vir. | Apoc. 12. | de Sym. ad Cat. | Ser. 157 de temp. | Mat. 19 | 2. Cor. 6 | Dan. 12

Digitized by Google

petuas, *æternitates ſunt*: quæ recte duodecim eſſe perhibentur;
in Pſal. 86. nam vt mire Aug. *Sacramentum magnum huius duodenarij ſignificatio eſt numeri: Sacramẽtum eſt cuiuſdam vniuerſitatis*; quia per totum Orbem terrarum futuri erant, qui cùm verbo, tùm ſcripto ſacræ doctrinæ eximio fulgore collucefcerent. In cælo cõmoratur, & filium parit, & cruciatur, vt pareret, nam contemplationi, actionem adiunxit, vtriuſq; vitæ omnia exercens munia. Tot montibus apparuiſſe tũc clerum ornatum, paulò antè omninò fere excultum, inopem, & mendicum, certe mirabile fuit, & vt mirabile prædixit Ioannes. *Signum magnum*. Magnum Portentum.

Regales, atq; Principum Horti, cultu, & magiſterio conſiti, letiſſimis floribus omni tempore anni olentes, fructibus quibuslibet redundantes, aquarum copia affluentes, quamuis ſuaues, ſpecioſi, atq; dilectabiles, non ſic ſane animos, oculoſque alliciunt hominum, ac vna ſola ſyluarum arbor, quæ dulciſſi-
Can. 2. mos gignat fructus: Spiritu Sancto dicente. *Sicut malus inter ligna ſyluarum ſic dilectus meus inter filios*; ac ſi diceret, mirabilem prorſus dignoſci inter ſylueſtres tot, & incultos Clericos, qui tum corruperant viam ſuam ſuper terram, nouam exurgentem Clericorum Regularium prolem, quamuis plures Sanctiſſimi Religioſorum cetus etiam tunc extitiſſent, quaſi Paradiſus Domini. *Immenſi quippe eſt præconij*, vt de S. Iob. ſcripſit Greg. *bonum etiam inter malos extitiſſe, neque enim valde laudabile eſt bonum eſſe cum bonis, ſed bonum eſſe cum malis*.

Ignem quis miratur vrentem? nemo prorſus; at ſi aquæ, vt Iſaias prædixerat arderent igne, portentum omnino, & prodigium inauditum dicerent vniuerſi. Quare numquam fuit mirũ Sanctos Cęnobitas Diuino igne flammantes cernere: mirum admodum fuit Clerum iamdiu ſicut aqua effuſum, & frigidum,
Diar. Vincent. Carac. in uita Caiet. pag. 186 Parentum noſtrorum opera efferbuiſſe, qui diuino igne ſuccenſi, igneos homines faciebant. Sic de Caietano in primis notatum inuenio. *Deniq; igniculi ab eo iacti*, vere Chriſti diſcipulo, qui ignem venit mittere in mundum, & quid voluit niſi, vt accendatur? *ardent in dies magis, magiſq;* quod mirabiliter in libris
2. Mac. 1. Machab. vtrumq. præfiguratum fuit primum quidem in igne, quem in aquam craſſam immutatum inuenerunt, poſtmodum

reful-

refulgente ſole propriam ignis figuram iterum aſſumpſiſſe viderunt, *vtq; hoc factum eſt*, legitur ibi, *& tempus affuit, quo ſol refulſit, qui prius erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus, ita vt omnes mirarentur*. Secundũ in clypeis aureis, in quibus dũ ſol refulſit, re- 1. *Mac.* 6
ſplenduerunt montes ab eis, & fortitudo gentium diſſipata eſt. 4. Reg. 4.
Incaluerunt illico frigida membra pueri iam mortui filij ſunamitidis, & reuixit, vbi ſuper eum Eliſęus ſe inclinauit, os ori, faciem faciei, pectus pectori admouens. Sic certè egregiè ſe geſſerunt Patres noſtri, diuitijs Cleri ſecularis paupertatem opponentes, incontinentijs caſtitatem, ſuperbiæ humilitatem, tranſgreſſionibus obedientiam, oblocutionibus ſilentium, ludis Orationem, commeſſationibus ieiunia, vanitatibus grauitatem, ſuperfluis egeſtatem, conuerſationibus ſolitudinem, otioſitatibus laborem, iniurijs ſolertiam, mundum relinquentes, ſoli Deo vacantes, proximos in ſpiritualibus adiuuantes. Sic ad vitam Clerum, iam pene mortuum, reuocarunt, opus ſanè noſtris cælitus reſeruatum, quorum exemplo permoti Clerici ſeculares mores corrigerent, vitia expiarent, Sanctimoniam adipiſcerentur & veniam: aptiores adhæc omnia promouenda, illis in Ordine ſimiles, & dignitate pares: *Volatilia* quippè, vt apud Eccle- *Eccl.* 27.
ſiaſticum legitur, *ad ſibi ſimilia conueniunt, & veritas ad eos, qui operantur illam*, quæ quidem ſimilitudo, à Chriſto Domino, qui vera iuſtitia eſt, vt obſeruauit Gloſa interlinearis, pariter, *Gloſ. in-*
& Lyranus; ad nos translata eſt, dicente Domino, *qui credit in* *terl. ſuper*
me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. *Eccl.* 27.
Et hoc mirabile non fuiſſe dicetur ne forſan? hoc non eſt *Io.* 14.
noſtras, ſed Dei glorias obruere: contrarium prorſus in cogitatis Ignatij, qui ad maiorem Dei gloriam omnia dirigebat.

Ex modo dictis colligitur reſpondum ad 3. quo me vrgere nititur Argumentum, dicens. *Nec arbitror alios Ordines, qui cum Sancto Franciſco apparuerunt, & mendicantes dicuntur permiſſuros, vt illis hæc duplex laus denegetur.* Monachorum ſcilicet, & Clericorum coniunctio; ſiquidem haud propterea quidquam de eorum glorijs diminuere præſumimus, aut certè duplicem illam denegare laudem, nempe Monachorum pariter, & Clericorum munerum vnionem, qui omnibus humiliter cedimus,

omnes ex animo veneramur, ſtrenue Diaboli opera diſſoluentes, ſi fortè hinc aliquid inter nos diſſidij fomitem ſubminiſtrare intendat.

4. Paupertatem mihi eorum obijcit Religioſorum venerabilium Ordinis minorum, quam Bart. & alij DD. in faſtigio eſſe paupertatis denunciant. Sed ne ſuſpicioſus habear, non ego, ſed Doctiſſimus Frater Franciſcus Pannicarola Epiſcopus Aſtenſis, & concionator egregius ex minoribus de obſeruantia aſſumptus, ipſe reſpondeat, qui noſtram admiratus pauperiem, Seraphici Patris Sancti Franciſci Clericos appellitabat, Nos, dicebat, ſumus fratres, vos Clerici Sancti Franciſci. hinc facile mihi perſuadeo, ſi Bart., & alij DD. Ordinem noſtrum præuidiſſent, ab illa præſtanti laude minimè excluſiſſent; Fratres, & Clericos Sancti Franciſci pariter commendantes.

5. & vltimo. *Ignatio res noua non erat, qui delineauerat Ordinem, qui Clericatum cum ſtatu regulari coniungeret, & clauſtrali, plura Clericatus officia, & munia complexus, quam Ordo Theatinorum*. Plura, quæ non facimus à vobis fieri non ambigo, qui, & publica ſcholaſticorum gymnaſia, & puerorum ſcholas profitemini, à quibus nos certè Clerici Regulares abſtinemus, Apoſtolorum exemplo, quos primos Clericos Regulares his vacaſſe non legimus; nihilominus de hoc quidem gaudeo, ſed & gaudebo, Deo gratias agens, qui tot ſtrenuos operarios Eccleſiæ ſuæ prouidere dignatus eſt, quod Beatus Pater noſter Caietanus præſciuit, & prædixit Sancto veſtro Parenti. Cæterum quoad illam partem ſcilicet plura Clericatus officia à Societate quàm à noſtris fuiſſe complexa; huic equidem non pro noſtris tantum; verum etiam pro vniuerſis Religioſis cœtibus laceſſitus reſpondere debeo, quomodo ſe omnibus præferat, qui Clericorum munia minus omnibus tractat: quamobrem ea, quæ ſint libentiſſimè ſcire vellem: interea verò ea ego narrabo, quæ ablegauit, quæ nihilominus à nobis omnibus exercentur; Non quidem vt Societatis inſtitutum redarguam, aut improbem, qui vos omnes enixe veneror, & quæ à S. Ignatio inſtituta ſunt digniſſima cenſeo. Clericus, vt à nomine incipiam, ſic nos docet
ad nepot. Hieronymus. *Clericus qui Chriſti ſeruit Eccleſiæ, interpretetur primum.*

num Vocabulum ſuum, &c. Cleros gręce, latinè ſors appellatur; propterea Clerici dicuntur, quia de ſorte Domini ſunt. Vos ad ſęcularia negotia diſtracti, laudabili veſtro inſtituto id à vobis poſcente, ſupergredimini vniuerſos.

Sequitur Hieronymus. *Si quid aliud habuerit præter Dominum pars eius non erit Dominus (Verbi gratia) ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, &c.* hæc autem copioſè, qui poſſident, parum Clericorum munia ex ipſo nomine ſibi adaptare poſſe declarant.

Veſtra veneranda Societas verè, & propriè eſt mendicans, quod quidem eximiæ perfectionis eſſe à catholico viro non ambigitur; mendicare autem ſic eſt à Clericatu ſeiunctum, & diſtinctum; vt omnes DD. & inter eos Leſſius eiuſdem Societatis, ex canone ideo probent Clericum ad debita ſoluenda cogi non poſſe; nullo ad victum neceſſario retento, ne in opprobrium ſtatus Eccleſiaſtici cogatur Clericus mendicare: ea propter Thienæus, & Carrafa noſtratum columina, nobis, qui vere, & propriiſſimè, atq; omnibus numeris abſolutis Clerici ſumus, illud iniungere noluerunt, altiora petentes.

De iuſt. et Iure lib. 2. cap. 6. dub. 3. n. 50. Odoa. 3. de ſolut. & ibi Abbas Imola, Ancar. & alij.

Clerici, quia de ſorte Domini ſunt, & pars eorum Dominus, Odæum frequentant, quod vos ablegaſtis, veſtro laudabili inſtituto incompoſſibile.

Diuinum Eccleſiarum cultum, & Eccleſiaſticæ cęremoniæ non ſic à vobis excoluntur, ac Clerici omnes, omnes Regulares, Cathredales, Patriarchales Eccleſiæ, & ipſa in primis Summi Pontificis Sacroſancta Cappella tractat; quippe qui in ſolemnioribus Miſſis Dalmaticis non vtimini, Diacono, aut Subdiacono in ſacro illo miniſterio non adhibitis, in Veſpertinis ſolemnioribus precibus Altare non thurificatis; Cottas non adhibetis in proceſſionibus quintæ, & ſextæ feriæ maioris Hebdomadæ, in quibus Pallio, vel toga induti incedit s, neq; cum exponitur, aut reponitur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Oratione quadraginta horarum, neq; etiam in ſolemniſſi na; quam Romæ celebrari vidi in Domo profeſſa die octaua Sanctiſſimi Sacramenti, neque tandem in exequijs Defunctorum Fratrum veſtrorum. Benedictionem ſolemnem candelarum in feſto Purificationis Sanctæ Mariæ, & Palmarum in eadem Do-

L 2 minica,

minica, proceſſioneſq; in illis diebus in Eccleſijs veſtris non facitis; vt quid ergo vſurpat ſibi Nigronus, quod tot capitibus improbatur?

NVM, QVAS SANCTVS IGNATIVS ſibi in animo deſcripſerat nouitates, auertere eum poterant, quin Noſtrarum Legum nouitates appeteret.

In Hiſt. diſp. §. 18. num. 66.

ANIMADVERSIO XV.

DE veſtra gloria nobis gaudendum non ambigo, & hoc oro, vt magis, ac magis creſcatis, & abundetis in omnibus bonis ad gloriam, & laudem Dei, ſicut eſt mihi iuſtum ſentire de vobis, eo quod habeam vos in viſceribus meis: neq; huic pio, ac religioſo affectui contraire quis credat; imo nec in minimo ſuſpicetur, ſi ijs, quæ in præcedenti animaduerſione egimus adijcere nunc me cogit Nigronus; quippe qui denuo adhuc inſiſtit, vt noſtrarum legum deprimat nouitatem.

Dicit itaq; *Non erat, vt nouitate Legum moneretur Ignatius, qui ſibi in animo tot nouitates deſcripſerat, &c.* & paulo poſt. *quas equidem in Aſceticis ſubinde probo ab antiqnitate manaſſe; nec non aliorum ordinum ad nos imitatione deſcendere.* Pauca hæc nunc propoſita verba magnam obuoluunt contradictionem; nam quas ſuæ Societati deſcripſerat nouitates Ignatius; ſi nouitates, quomodo ab antiquo ex aliorum Ordinum imitatione manarunt? Profecto ſi ab aliorum ordinum imitatione, & multo magis ab antiquitate, ergo non nouitates: Neq; Sacros illos Ordines permiſſuros opinor, ſi quis dixerit innouatum in Societate, quod in ipſis defecerat. Verumtamen, quas nouitates poterat ſibi in animo tunc perſcribere Ignatius, qui de ea Religione, quæ poſtea condita fuit, cuiuſuè nouitates nunc enumerat Nigronus nullum per id temporis prorſus erat propoſitum, nullum conſilium? Quare aſſerere Ignatium futuræ Societatis nouitates

animo concepiſſe, nullum habet fundamentum, præter affirmantis voluntatem: non enim Virum Sanctum credere debemus in ijs ne minimo quidem interuallo animum applicuiſſe, quæ omnino ab eo, quod tunc meditabatur, erant aliena.

Ribadinera inſignis, & primarius vitæ Ignatij ſcriptor, de cogitatis agens eo tempore ab ipſo. hæc literis conſignauit. *Feſto die Aſſumptionis in Cęlum Deiparæ Virginis.* 1534. *in Eccleſia eiuſdem Reginæ Angelorum Mons Martyrum nuncupata ad tria millia-ria è Pariſiis longè poſita, Ignatius eiuſq; Socij peccata ſua confeſſi, & Sanctiſſimo Corporis Chriſti Sacramento refecti vouerunt, &c. Proximos ſpiritualiter adiuuare; Ieroſolymam peregrinantes petere, ibiq; conſiſtere, ac vitam ducere ſemper, quæ ſi perficere minimè poſſent, Romæ ad Sanctiſſimi Chriſti Vicarij pedes prouoluti, pro bono, & ſalute animarum ad voluntatem, nutumq; Sanctitatis ſuæ ſe offerrent.* Hoc ipſum ſequenti anno 1535. inter ſe ſtatuerunt priuſquam ab inuicem diſtraherentur, eiuſdemq; mentis extitiſſe deſcribuntur anno 1537. Hæc autem eo cogitante, quis prudens ſibi perſuadere poterit, eas tunc nouitates meditatũ eſſe Ignatium, quas, ſi conſtitiſſet Hieroſolymis Turcarum Princeps perficere non permiſiſſet, quarum, & ſi non omnes; earum tamen aliquot ſtatui, quem elegerat repugnabant, cuiuſmodi fuiſſet tyrocinium bienne, & protractio profeſſionis. Sin autem ad Pontificem acceſſuri, cum opus quod Pontificis iuſſu aſſumpturi erant ab ipſius pendebat imperio, fruſtra in animo ſuo præſcripſiſſet Ignatius, cuius euentum ab alterius pendebat voluntate.

lib. 2. c. 4.

cap. 5.

cap. 7.

At, eſto illas nouitates ex tunc in animo ſibi præſcripſiſſet Ignatius, hinc certè non conuincitur, quin noſtris nouis legibus vinci non potuerit, qui tot noua adinuenerat; præcipuè cum vna ſolummodo noſtrarum legum nouitas, ſumma nempe paupertas, quæ mendicatum explodit, & mundi opes, Dei opes contenta contemnit viriliter, admiratione cunctas noua præcellat; vtpote, quæ ſola vna dici poſſe videatur: ſicut in Apocalypſi Ioannis ſcriptum reperimus illis verbis. *Vidi Ciuitatem Sanctam Ieruſalem nouam, deſcendentem de Cęlo à Deo.* Vbi notandum, quod tunc Sancta Ciuitas noua prædicatur, præſtantiq; hac laude decoratur, quando de Cęlo in terram deſcendit, non tamen in terra conſiſtens, ſed Deo ſurſum innixa, quale noſtrum

Apoc. 21.

eſt

eſt Inſtitutum. Quod Sanctus Propheta Iſaias futurum cecinit

Iſa.62. poſtquam Deus in hæc terreni corporis membra deſcenderit. *Videbunt*, inquit, *gentes iuſtum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum, & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit:* quod quidem Sanctus Cyrillus ad cęleſtem illam Ieruſalem refert, de qua cecinit Dauid. *Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei;* quæ profectò eadem eſt cum ea, quam de Cęlo deſcendentem à Deo vidit Ioannes. Tunc ſiquidem altiſſimum paupertatis culmen à Deo alimoniam expectantium, quod nullius adhuc fuerat temeratum veſtigio, ſolo attritum eſt plurimorum, ipſo Domino in carne poſito ſui exemplo ſemitam referante, quibus antea erat ignota. res planè adeo nobilis, & excellens, vt propterea, qui ea dignatus fuerit, noua prærogatiua dignus eſt habitus cumulari, vt ſcilicet ſit corona gloriæ, & Diadema decoris in manu Dei, ſicut protinus Idem Diuinus Vates futurum ibidem promiſit. Verum ſi Sancti Cyrilli prophetici huius dicti aliam interpretationem ſequamur; ſcilicet, vt conuerſo ſermone ad Saluatorem dicatur. *Vocabitur tibi nomen nouum;* hoc ideo factum eſſe intelligas quia tunc Vnigenitus Dei Filius egenus pro nobis factus, & reclinatus in Præſepio, lac ſugebat vbere de Cęlo pleno, eſca noſtræ ſimillima, qui non è terra, ſed ab eo, qui fecit cęlum, & terram, qui dat eſcam omni carni, eſcam cum ſilentio præſtolamur in omni patientia, confidentia multa, omnem ſollicitudinem noſtram proijcientes in eum, Apoſtolicis edocti præceptis. Præſtantiſſima ergo, & præclara nouitas, quæ ex ore altiſſimi prodiuit, primogenita ante omnem nouitatem. Quid ergo mirum, ſi ſuis poſtpoſitis hanc adamauerit tantopere Ignatius, & qui Dominum imitandi propenſiorem habebat voluntatem, hanc ex animo elegerit?

In Iſa. 62.

Pſ.86.

De Trin. lib. 1.

DE

DE INDVMENTIS; QVIBVS vtimur albi coloris, deq; veſtibus quas è Domo egredientes adhibemus.

In Hiſt. diſp. §. 18. *num.66.*

ANIMADVERSIO XVI.

MInimum, non nimium, quod curare debet Vir Deo Sacer, ex Bernardi ſententia, cęterorumq; omnium, eſt indumentum, a quo calor, non color eſt expetendus. Porro, quod vos nigra tibialia, nos vero alba geſtamus, nihil vobis addit, nihil detrahit nobis, quamuis Nigronus multum hinc ſibi tribuat, quippe qui Clericorum proprium illud eſſe decernit; eum tamen certò ſciamus non omnes Clericos eiuſdem coloris tibialibus vti. Nos vero, qui Clerici Regulares ſumus, in his tamen quæ non pertinent ad conſtituendum verum Clericum, quę uè ſine detrimento ſtatus Clericalis fieri poſſunt, quippe qui re, & profeſſione Clerici ſumus, quantum à ſęcularibus magis diſtinguimur, tanto melius facimus, maioriq; laude digni erimus ſi Sacros Sanctorum Ordinum inſtitutores imitati fuerimus, & præ cæteris, atq; in primis Sanctum Auguſtinum, & Sanctum Benedictum, alterum Clericorum, Monachorum alterum præcipuos reſtitutores, à quibus profectò expreſſerunt Patres noſtri candidis interius indumentis vti: Quod quidem (præter munditiam, & paupertatem à Sanctis maximopere commendatas, vnde eſt illud Bernardi celebre dictum. *Paupertas mihi ſemper placuit, ſordes nunquam*) myſterio vacare minimè credendum eſt: etenim, qui Domino ſeruiunt mentis candore præfulgere debent. hinc in Apocalipſi Ioannis, Beata illa ſupernorum Ciuium turba ſtabant ante thronum Dei, & in conſpectu agni amictis ſtolis albis; Et in Chriſti Domini reſurgentis ſepulchro Angelus in albis apparet. *Erat autem aſpectus eius ſicut Sol, veſtimentum autem eius ſicut nix.* Vbi bene Gregorius. *In niue autem blandimentum candoris eſt.* De Nazarenis ſcriptum lego. *Candidi facti ſunt Nazarei eius, ſplendorem Deo dederunt, & ſicut lac coagulati ſunt.* Iacobus quoq; Frater Domini lineis veſtibus vtebatur.

§. 18. *nu.* 66.

Apoc. 7.

Matt. 28.

Hom. 21. *in Euãg.*

i off. mar. tep. paſc. Breu. Rõ. 1. *Maij.*

bitur. Quæ omnia immenſam animi puritatem ſignant, dignam
prorſus, quæ à nobis enixè colatur, quò vberius eapropter in
Hym. ad nobis Dominus illabatur, ſicut canit Eccleſia. *Quo corde puro*
noct. Sa- *ſordibus te perfruamur largius*: quod noſtros aſſecutos fuiſſe illu-
bathi. ſtri Encomio celebrauit Sanctus Carolus Cardinalis Borromæ-
us, cui dum Clericos ſuos nigris tibialibus vti mandaſſet; no-
ſtrates alba geſtare obiectatum fuiſſet: Imitemini, reſpondit
protinus, Sanctitatem Theatinorum, & tunc alba tibialia vl-
trò concedam: Sic mihi retulit Sanctus noſter Senex Beatus An-
dreas Auellinus, cuius inſignem virtutem miracula crebra te-
ſtantur. Vtimur autem exterius veſte nigra, quæ vtiq; mœro-
rem, luctum, & mortificationem exprimit, iuxta illud Apoſto-
col. 3. li. *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. quia*, inquit,
In 1. Reg. Gregorius, *niſi ſæculo moriamur, Deo per amorem viuere non valemus.*
cap. 2. Et alibi *Mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes,*
vt vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris. quia ex Ambroſio,
ipſam Chriſti mortem, & paſſionem nos eius miniſtri in corpore noſtro,
quaſi repræſentatione quadam geſtamus, & circumferimus, vt ſerui ge-
cant. 1. *ſtant inſigne, & ſtigma Domini ſui.* Vt cum cœleſti ſponſo dicere
poſſimus. *Nigra ſum ſed formoſa filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula*
Cedar, ſicut pelles Salomonis. Ideſt deſpecta deforis, intus verò ple-
na gratiarum, illud ſignificatum à veſte nigra, hoc verò ab in-
dumentis albis. Cum autem foras egredimur Pallio æquè ac ve-
ſte ſuperiori nigri coloris vtimur ex panno tenui, quod vulgo
Saia nuncupatur, ſub gutture clauſa; non autem toga forenſi;
Ad ne- vt aſſeritur, ſed quæ Religioſos, ac Regulares Clericos decet,
pot. quam Hieronymus par tunicæ operimentum appellat: at ex Phi-
lone tradente Theraupentis iſtæ in vſu fuerunt Tuniculæ, & qui-
dem diſcinctæ. eiuſmodi quoq; Lacernam ſuperiorem, ſiue exti-
mam Auguſtinus vocat fluentem, ac remiſſam, & cingulo non
obſtrictam Tunicam, quæ omnia obſeruauit diligenter noſter
In not. ad P. D. Antonius Caracciolus. quinimo huiuſcemodi propemo-
conſt. p. dum Tunicis vſum fuiſſe Dominum noſtrum, in quibuſdam
2, hic Imaginibus cernitur, tum antiquis, tum etiam recentioribus,
quas me vidiſſe recordor. Neq; arctioris vitæ vinculis mancipa-
tis, qua in egrediendo vtimur, veſtis minus conuenit illo
Tom. 2. pallio, cuius meminit in ſuis annalibus Eminentiſſimus Car-
ann. 15. dina-

dinalis Baronius, quodue nos ſæpiſſimè, ne dicam ſemper portamus, non enim illam veſtem induimus, quam exuerat tunc Tertullianus, qui propterea iure dicere poterat, quod ſcriptum *de pallio* reliquit. *Ego quidem nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo, ni- cap. 5.* *hil officio aduigilo, nulla roſtra præoccupo, nulla prætoria obſeruo, Cancellos non adoro, ſubſellia non contundo, iura non conturbo, cauſas non clatbro, non iudico, non milito, non regno, ſeceſſi de populo, iam vnicum negotium mihi eſt, nec aliud nunc curo, quam ne curem.* neq; credo Baronium, qui arctioris vitæ ſignum tradidit pallio, negaturum idipſum profecto Tuniculis noſtris, & ſi non ab antiquo, ſaltem ex quo ſeueri moribus, & Regulares viri illas adhibere cæperunt, quod mihi facile perſuadeo, ex eiuſdem Tertulliani dicto, quod Baronius benè librauit: alloquens enim Tertullianus pallium ſuum, hæc habet, *Gaude Pallium, & exul- De pallio ta, melior te iam Philoſophia dignata eſt, ex quo Chriſtianam veſtem in fine. cepiſti*, his ſignificans, notat Baronius, *Pallium illuſtratum eſſe, quod à Chriſtiano viro tandem ſuſceptum fuiſſet*. non ergo eſt improbabile, quin credam Tunicam illuſtratam, ac ſeuerioris vitæ ſignum eſſe, ex quo Clericus Regularis illam induerit. Nec mireris ſi Tunicula quam extra domum geſtamus ex materia leuiſſima compacta ſit, tanquam magis congrua paupertati, vt pote minoris pretij, & ad ambulandum expeditior: quare Cyrillus exponens illud Euangelij. *Sint lumbi veſtri præcincti*, ſigni- *Luc. 12.* ficat, inquit, agilitatem, & promptitudinem. Et Theod. idem ſemper procliuis ad exercenda opera Domini noſtri. Cum autem noſtratij Domo egrediuntur ad opera Dei exercenda egredi credendum eſt, Quod, & priſcorum Sanctorum exemplo firmare libet. Enimuero Sanctus Benedictus, qui Monachorum diſciplinam in occidente penè collapſam reſtituit, extimas veſtes, quas Cucullas appellant, ex eadem materia tenuiſſima, quam nos adhibemus, Monachos ſuos adhibere voluit. neq; hinc, etiam ſi vt præfertur ſolummodo illis vteremur, maius incommodum, aut certè vita durior ab his aſtrui poteſt, qui ex panno grauiori æſtiuis etiam menſibus illis vtuntur; nam hinc eandem vitæ duritiem, maiuſque incommodum patimur nos hyemalibus menſibus, qui frigoris incomoda ſuſtinemus; æſtate verò illud, quamuis leue indumentum, aliquid addit

incommodi: quæ omnia, & his multo maiora libenter ſuſtinere debemus, illius amore, qui pro nobis ſuſtinuit Crucem.

QVID VERITATIS DVO CASTALDI dicta contineant quæ Nigronus improbat.

In Hiſt. diſp. §. 18. num. 70.

ANIMADVERSIO XVII.

NVnquam in animo meo fuit venerabiles mihi Patres deludere, quos in oculis fero, nec me talia agere vlla ratione decet; quare nec ſuſpicari quidem de me omnino debebat Senex Religioſus. fecit tamen: prompto ei animo parco, ſicut, & alia. Sed videamus, an vera ſint, quæ ego in vita Pauli Papæ IV. ſcripſi, quibus permotus Nigronus, eos me illudere voluiſſe autumat, quæ duo eſſe in ſcripto ſuo reperi. Primum. Ieſuitas inclinaſſe animum ad duorum ordinum coniunctionem propter perſecutiones, &c. ſecundum quod ego verebar coniunctionem illam ceſſuram in opprobrium Pontificis. Hinc exordiamur, lectoremq; precor, vt caput decimum ſeptimum vitę Pauli Sanctiſſimi Pontificis à me ſcriptæ percurrat, & æquo animo inter Nigronum, meq; iudicet, vbi cognouerit me talia non ſcripſiſſe: ſcripſi tamen mentem Pauli vllam fuiſſe duos iſtos Ordines vniendi, idq; teſtimonio duorum Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium, nempe Vitellocij Vitelli, & Gulielmi Sirleti, quorum dictis ſi ſtandum ſit necne, cuiuſuis Iudicium non recuſo: quare niſi me grandæuum, & in Religioſo habitu quinquageſimum quartum annum agentem, decor Religionis, & Senectus, & Chriſtiana Lex prohiberet nemini malum pro malo reddendum, procinus dicerem. En quomodo duos Ampliſſimos S. R. E. Cardinales eludit Nigronus. Verum abſit hoc à me. Tranſeo eapropter ad alterum, quod enunciaui. Inclinaſſe ſcilicet Ieſuitas animum ad duorum ordinum coniunctionem
Prou. 18. propter perſecutiones, &c. Et quidem ſatis rationabiliter, nam frater, qui adiuuatur à fratre quaſi Ciuitas firma. Nec meus

ſermo

ſermo de perſecutionibus fuit ab hoſtibus Sanctæ Eccleſiæ, Eccleſiæ verè filijs inflictis, quæ sũt gloriæ noſtræ, ſicut Apoſtolus Petrus docuit dicens. *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes: ſi exprobamini in nomine Chriſti beati eritis, quoniam, quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus ſuper vos requieſcit.* Certè, qui pro fide decertant, à fidei inimicis multa paſſuros iã prædixerat Dominus. *Tradent enim vos in Concilijs, & Synagogis ſuis flagellabunt vos, & ad præſides, & Reges ducemini propter me.* Et iterum *abſq. Synagogis faciẽnt vos, ſed venit hora vt omnis qui interficit vos arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Et has declinare infirmitatis eſt, non tamen culpabilis, dicẽte Domino, *cum perſequentur vos in Ciuitate iſta fugite in aliam*: quandoq. etiã humilitatis indignũ ſe tanto munere exiſtimantis; non declinare autẽ eximiæ fortitudinis opus eſt, heroicæq. virtutis, Sãctorũ Martyrũ imitatores effecti Diſcipulorũ Chriſti. Improbos probos odiſſe non eſt nouum, ſed quæ ab his parantur, inſidias, & perſecutiones declinare cũ liceat, quid mali fecerunt veſtri, ſi quas tunc patiebantur perſecutiones vitandi ſtudio inclinarũt animum ad duorum ordinum coniunctionem? quã ſi nunc renuit confiteri Nigronus, hoc iam contudi, contraria, quæ in his obuoluit oſtendens. Quod verò ante hæc omnia Ribadinera teſte præmiſit Nigronus. *Quo tempore Patres Theatini non habebant Romæ Domicilium, ſed tantummodo Venetijs, & Neapoli, & aliquod initium Patauij: noſter Sanctus Pater optauit, & valdè egit vt Romam venirent, tum ob alias cauſas, tum verò, vt melius diſcrimen inter vtramq. Religionem appareret, & nos non eſſe Theatinos, ut uulgus nominabat.* Hæc etſi concederẽ hinc tamen coniunctio non improbatur, niſi ex parte Ignatii, qui (vt alias dixi) quod ſemel à B. P. noſtro Caietano acceperat ſemper retinuit: neq. Ignatii mentem fuiſſe memoraui, ſed Ieſuitarum: quare non me hinc appoſitè redarguere poteſt. Quod tandem ſolitudinis amatores nos facit, ac propterea ſegnes in laboribus pro fide ſancta ſuſcipiendis, ſi vera enunciet Nigronus; nolo, vt mihi lector credat, ſed legat obſecro, quod de noſtris priſcis Patribus literis conſignauit Io: Baptiſta, Adriani illorũ temporũ Hiſtoriographus celeberrimus; quippe qui

1. Pet 4
Matth. 10.
Io. 16.
Matth. 10.
Anim. 1.
lib. 3 fo. 1890. 3. anno 1555.

de Paulo Quarto Pontifice Maximo agens, hæc habet. *Nouam humilium ac deuotorum hominum Religionem fundauerat, qui ab eo Theatinorum nuncupationem acceperant. Hi nimirum Sanctè uiuebant, atq. hæreſum perſecutores erant acerrimi, quarũ oppugnationem, & catholicæ fidei defenſionem ſuſceperant, idq. eorum profectò ſolemnis erat profeſſio.* Non ergo dubitare poterat S. Ignatius, quin promptiſſimi ad res fidei gerẽdas forent Patres noſtri qui & ſi cultores ſolitudinis, importunis atq. ſuperfluis ſecularium occupationibus abdicatis (quod proprium eſt Sãctorum) fidei tamen defenſionem contra hæreticam prauitatem priores illo, ex profeſſo ſuſceperant acerrime. Imo iſtorum alterum alterum non excludit: quandoquidẽ Sanctus Hieronymus, & vaſtam Syriæ ſolitudinem incoluiſſe, & multa hæreſum monſtra ſuæ doctrinæ gladio legimus confodiſſe. Ipſe quidem Sanctus Ignatius ſolitudinis, & Catholicæ Religionis vbiq. dilatandæ fuit ſtudioſiſſimus. Quamobrem nihil ei dubitandum, nihil timendum, quamuis ille fuiſſet receſſus, quem Nigronus Patribus noſtris adſcribit; qui enim cum Maria ſedebant ſecus pedes Domini audientes verbũ illius: cum Marta quoq. ſatagebant circa frequens Miniſterium.

lib. 1. c. 10.

Marty. rol. roman. 31. Iulii.

DE MODO, ET ORDINE, quem tenuerunt Primi Patres Societatis in ea condenda.

In Hiſt. *diſp.* §. 24. *num.* 89. 90. 91. 92.

ANIMADVERSIO XVIII.

QVod Apoſtolica veneranda diplomata aſſerunt; & Regales Francorũ Chriſtianiſſimi Regis epiſtolæ ampliſſimæ perhibent ambigere nefas eſt. Sed cur Nigronus formalem inter vtrãq. Societatẽ differentiã ponere nõ extimuit? niſi quia, quæ nunc eſt, illa prorſus non eſt quæ tunc coaluiſſe dicitur. Secus fuiſſet antequam eſſet; nam forma eſt, quæ dat eſſe rei. Quod enim primo Sanctis illis viris occurrerat, hoc plane fuit ſeipſos, quoad eorum vita duraret in proximorum

ſalu-

ſalutem impendere : hoc autem omnino illud non eſt, quod poſtmodum factum eſt.

Quod ne gratis videatur dictum, ponam hic, quod in hiſtoria Societatis nouiſſimè narratũ reperitur. *Inter hæc nouus, & vigeſimus huius ſæculi annus cũctæ Societati faſtus & fortunatus, & quaſi natalis illuxit. Hoc quippe anno, propitio Ieſu, de ea in poſteritatẽ propaganda & vincienda certis legibus, patres conſenſere*, Et inferius: *Vna conueniunt, vt de ſuæ familiæ ſtatu, deq; re communi deliberent*: ergo adhuc nihil firmum, nihil commune inter illos. Et infra, *Præſtaret ne vti inſtituerãt, nullo ſtabilito perpetuæ Societatis fœdere, atq; cætu, quo ad vita ſuppeteret, in animarũ procuratione verſari, an potius certam quandam fundare familiam*: Si in deliberationem vocatur, an certa ſit fundanda familia, ergo illo tunc fundata non erat, ergo diſtincta ab ea, quam inſtituerunt, duraturam quo ad vita ſuppeteret, ergo hæc non erat illa, quæ poſtmodum ſubſecuta eſt. Item. *Id cum in conſultatione initio veniſſet, ſententiæq; inter ſe variarent : ſtatuunt in primis amplius inſiſtendum conſulendo, precibus, ieiunijs, & cætera afflictatione corporis Deo.* Certè hæc omnia ad futura dirigebantur, ſi futurum, ergo non factum, ſi ſententiæ uariabant, ergo non concordes in eo quod faciendum præponebatur; de præteritis quippe nulla prorſus eſt conſultatio. lib 2. n. 58. ann. 1539. Orl hiſt Societ. l. 2. n. 58.

Adhuc *ea de re cum multis vtrinque rationibus noctes quamplures diſceptatum eſſet : tandem vna omnium mens, atque ſententia fuit, ad duo priora vota perpetuæ caſtitatis, & paupertatis, tertium inſuper adiungendum perpetuæ obedientiæ, atq. ex ſuo corpore unum aliquem ſeligendum, cuius dicto audientes eſſent reliqui, & cui ſua iudicia, uoluntateſque ſubmitterent.* Si ſubſtantialia religioni ſunt tria uota, quibus ex his, uel unum ſaltem deerat cæpta minime dici poteſt. lib. 2. n. 61. ann. 1539.

Dixi Nigronum non formalem, ſed materialem illam uocitare Societatem, uerum hoc illi prodeſſe non poteſt : nam ſi forma dat eſſe rei, quomodo eſſe dicitur, cui forma deeſt? Si forma eſt, quæ ſpecificat, ergo, quæ futura formaliter, realiter diſtinguitur, ab ea, quæ materialiter fuiſſe dicitur : ſecus dicere poſſemus, piſces eſſe aues, aueſq. piſces, quia communicant in materie: ab eadem quippe aqua, & piſces, & aues ſum-

pſere

poſſe principium. Item dicere poſſemus inchoatam eſſe iuſtitiam, quando quis iuſtificandus eſt peccator: nam materialiter eſt idem homo peccator, & iuſtificatus; ſimiliter ſecularis, qui poſtea fit regularis: ex tunc nomen dediſſe religioſæ vitæ, per Nigronum dici poſſet; cum tamen ſecularis, & regularis vita ad inuicem diſtinguantur; neque hæc ſit illa, neq. illa iſta: quare neque incohata Societas, neque propinqua perfectioni, quam amplecti anno 39. decreuere patres, vllo pacto dici poteſt, quæ initio ab iiſdem diuerſa excogitata fuit: hinc non appoſitè Platonis, atq; Ariſt. vtitur dictis: nempe dimidium principium eſſe rei, ſiquidem quod probationes denegant eſſe principium, neq. dimidium eſſe potuiſſe confirmant. Fruſtraq. leges: & gloſſas inducit; aſſerentes, pro facto habendum, quod de proximo faciendum eſt, cum nunquam, neque de proximo, neque de longinquo tale quid illis in mentem venerit, quod vt poſtea ſtabilirent, cum multum diſceptatum eſſet, antequam quidquam deliberarent, precibus, ieiunijsq; Deo vacandum, & inſiſtendum neceſſe fuit.

Ex his liquet potuiſſe B. Caietanum prædicere Sancto Ignatio; ne dum confirmationem ſuæ religioni à Pontifice concedendam: verum etiam religioſi cætus futurum patrem renunciare: ſiquidem anno 1539. adhuc non erat ſub ſuaui iugo obedientiæ, adhuc non erat ſtabilita Societas in poſteritatẽ propaganda, nõ erant decretæ regulæ. Vnde Orlandinus, his de nomine conſtitutis addidere Patres, vt Præpoſiti generalis poteſtas, magiſtratusq. non certo annorum numero, ſed iiſdem, ac vita terminis finirent, & vt nouitij, & qui Societati annumerari vellent, &c. Adhuc incertus erat exitus rerum illius euentus, an hominum expectationi reſponſura, ſpemq. quam concitauerat ſuſtentatura, ac propterea Paulus Papa III. ad limitatũ numerum ſexaginta tantummodo facultatem fecit profitendi in iſta religione, referente Ribadinera, adhuc in ſemine erant, & in radice illi fructus, quos ſuauiter, feliciterq. protulit vinea iſta fructifera. Quæ omnia potuit præuidere, ac prædicere S. Ignatio, beatus noſter Caietanus. Sed de hoc mox accuratè & copiosè.

lib. 2. n. 64.

li. 2. vit. Igna. c. 17 & in bulla PP. conſtit. 15. Pauli 3

QVAE-

QVÆ SANCTO IGNATIO de ſuâ iam coalitâ Societate prædicere potuit B. Caietanus.

In Hiſt. diſp. §. 24. *num.* 89. 90. 91. 92. §. 25. *num.* 94. 95.

ANIMADVERSIO XVIV.

PRimum argumentum in hac dubitatione ſumam ab eiuſdem Nigroni placitis, & aſſertis, ad hominem, qui vt probet S. Ignatium nos in veſtitu imitari non potuiſſe, diſtantiam regionum inducit, impoſſibile eum credens, qui apud Gallias, & Hiſpanias morabatur, remotiſſimos fines, noſtratum in Italia degentium notionem vllam habere potuiſſe. Item noſtrorum priſcorum principium ſolitudinem, & à mundo ſeceſſum, nimium quam debuiſſet, multis in primis amplificat, & præter nomen, quæ Eremitarum ſunt, tribuens illis, omnia, non ignarus præclaras Sanctorum acies, actione pariter, & contemplatione præſtantes, quos imitati ſunt Patres noſtri, mundi receſſu, mundo mirabiliter profeciſſe, quorum hortationes, conſilia, prædicationes, & omologeſes nullis terrenis inquinatæ affectibus ſed cæleſtibus educatæ cogitationibus, (vt Damaſceni vtar verbis) ad deſtructionem iniquitatis, ad profliganda peccata aptiores quidem, & accommodatæ extiterunt ſemper; quare, quæ in noſtræ familiæ probrum obiecit, in eiuſdem ceſſere, & gloriam; dicamq; proinde quod Cicero; *In iſto tuo maledicto, probrum, non modo mihi nullum obiectas, ſed etiam laudem illuſtras meam.* Hinc quæ in nos nulla ratione conſtruxit, in eum euidenti ratione contorqueo ſic. Quamuis alijs hæc dubitatio inſurgere, eorumque corda ſubrepere potuiſſet, non tamen illius, qui & terminorum diſcrimine, ac differentia, & Patrum noſtrorum receſſu, id prædixiſſe Caietanum ſibi perſuadere debebat, quod non ab hominibus, ſed à Spiritu Sancto didicerat de Ignatio; Nec abſurdum ſcimus ex S. Tho. præterita, & & præſentia, ſicut, & futura, annunciaſſe Prophetas; quemadmodum de Sancta Eliſabeth. Sancti Ioannis matre dixit Ambroſius; quod *per prophetiam didicit, quod non didicerat à*

ma-

§. 18. *nu.* 66.

§. 18. *nu.* 69.

Pro Dei. 228.

2. 2. *qu.* 171. *a* 31.

lib. 2. *cõ. in Luc.*

maritos; Et de S. Thoma Apoſtolo habet Gregorius; *quod aliud vidit, & aliud credidit; hominem vidit, & Deum confeſſus eſt.* Similiter Petrus Apoſtolus dicens; *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*; de quo Hieronymus; *ex confeſſione ſortitur vocabulum, quod reuelationem ex Spiritu Sancto habeat.* Et de Ioanne, qui Dominum digito demonſtrauit dicens; *Ecce Agnus Dei.* Hæc de illo canit Eccleſia; *Cæteri tantum cecinere vatum corde præſago iubar affuturum, tu quidem mundi ſcelus auferentem, indice prodis*: Moyſes quoq; præterita narrat, atq; iam diu patrata ab origine mundi; A Deo, inquit, Gloſſa, *ſicut de futuris, ita & de præteritis edoctus*; & Baſilius, *qui Deum æque, atque Angelos ipſa facie vidit; hæc ex ijs nobis refert, quæ ab ipſo Deo percepit, & audiuit.* Et ſubdit, *audiamus igitur veritatis verba, non ab humano ſpiritu, ſed à Spiritus Sancti vera doctrina prolata; Enimuerò tales ſunt Prophetæ*, ait Chriſoſt., *omnia tempora percurrunt præterita, præſentia, & futura.* ea ergo, quæ iam coaluerat ſodalitas, ſed ignorabatur à Caietano, qui per ſe vitam ducebat ſolitariam, diuino afflatus ſpiritu edicere potuit, quamuis iam conſtructa eſſet, ſicut alter Moyſes à Deo illuſtratus, atq; edoctus; Sancta Catherina Senenſis, vt in eius geſtis habetur, non lectis Sanctorum actis, à Domino puerula didicit; quæ præclari per orbem apoſtolici viri, & in primis eremi patres mirabilia geſſerunt in Aegypto, quorum in Deum excellentiſſimæ charitatis extitit egregie propterea æmulatrix; Et ſicut Eliſeus, inquit Sanctus Thomas, propheticè cognouit, quæ Giezi diſcipulus eius in abſentia fecerat; ſic Caietanus, quæ Pariſijs, & alibi cum ſocijs inierat Ignatius.

Secundum argumentum deſumitur ex difficultatibus, eiſq; permaximis, quas in confirmatione Societatis à Sancta Sede obtinenda maximopere experti ſunt, quos perbelle enarrat Orlandinus his verbis. *Domi autem nihilo minore in rem Societatis Ignatius ipſe, qui quidem in conficiendo confirmationis negotio, feliceinq; ad exitum contra vim, authoritatemq; multorum Principum producendo, annum integrum deſudauit. Dederat Pontifex max. vti ſupra demonſtratum eſt Societatis explorandæ negotium tribus Cardinalibus, & Guidiuionio potiſſimum, qui quidem adeo non amicè ſupplices patres accepit, vt ne conſcriptam quidem inſtitutorum formam adduci poſſet,*

hō. 26. in Euang.
Matt. 16
lib. 3. cō. in Matt. cap. 16.
Io. 1.
In feſto S. Io.
In exam.
In Pſ. 43
Dō. hiſt. p. 2. lib. 2 cap. 32.
4. reg. 5.
2. 2. qu. 171 ar. 3.
lib. 2. nu. 113.

poſſet, vt legeret; ſed quæ tanta aduerſus religionum multitudinem commentatus fuerat, ea vno tempore vniuerſa contra naſcentem Societatem videret effundere, collegaſq; in eandem ſententiam ſuæ authoritate perduxerat; Sed qui ſemel ſpes ſuas in Domino collocarant, nequaquam animo debilitati ſunt; Inſtant, atq; vrgent magis, literæq; à Viris, Principibus, & Ciuitatibus afferuntur ad Pontificem, & Cardinales ea de re grauiſſimæ; Sed Satana obnitente, pro viribus, fruſtra omnia. Hæc ille; Quod ergo difficillimum fuit hominibus, & fruſtra omnia contingebant, fęliciter obuentura homo Dei præuidit.

Tertium inſurgit argumentum ex ambiguitate, quam conceperant Cardinales, expediret ne chriſtianæ reipublicæ iſtius nouæ Religionis conſtructio, quam idem Orlandinus explicat dicens. *Cenſuerunt deniq; Societatem in earum numerum reponendam, ita tamen, vt dum dies aperiret, quid maxime præſtaret Eccleſiæ, profeſſos non excederet ſexaginta;* Quod ergo non dum aperuerat Deus hominibus, diuina luce perfuſus aperuit Caietanus Ignatio, cui bono Eccleſiæ fęcundam fore, & copioſã Societatẽ renunciat. lib. 2. num. 114.

Ad huc quartum ſit argumentum, quia quæ nunc fęlix viget Societas, non ea eſt, quæ tunc coaluiſſe dicitur, nec quos protulit vberrimos fructus adhuc germinauerat. Hoc quod poſterius dixi probatione non eget, primum probant, quæ in ea eſſentiales differentiæ dignoſcuntur; ſiquidem, quam primo loco meditati fuerant ad animarum medelam, Hieroſolymitanos terminos non erat tranſgreſſura; quam ſecundo condiderunt, in omnẽ prorſus terram erat amplificanda. Illa, poſteritatem non erat habitura, hanc, in poſteritatem placuit propagare. Illa, triplici ſacrorum votorum vinculo, quod religionem conſtituit alligata non fuit, hæc omnibus numeris abſoluta, triplici ligamine, paupertatem, caſtitatẽ, & obedientiam profitetur, prætere a peculiari addito voto, in omnibus ſummo Pontifici præſto eſſe in miſſionibus, tum ad fideles, tum etiam ad infideles. Illa Societas, pia, & venerabilis fuit; hæc, vera, & proprijſſimè dicta religio.

Dices hoc verum apud ſocios, at non in mente Ignatij, qui iam præcognouerat omnia. Hoc certè, & ſi gratis dictum; meam firmat concluſionem; nam quæ mente recluduntur, niſi ſupernaturaliter illuſtrati, cæteri cognoſcere minime poſſunt. §. 25. num. 94.

Digitized by Google

Nouiſſimum verò omnium quintum ſit argumentum. Eſto, per ſectiſſimam iampridem, & completam fundaſſet ſodalitatem ſuam Ignatius, quod nunquam fuit, nec ipſe Nigronus dicere audet; hoc quidem, ſi naturali via quoquo modo cognitum prędictionem excludit; opus tamen antea ab Ignatio cęptũ, quod ſuadet Caietanus, vt proſequatur, noſtram illi interdicens militiam; hoc vtiq; Spiritus Sancti magiſterio imbutus, cur non potuit facere? quo magis, magiſq; in bono opere, quod aſſumpſerat confirmatus hilariter progrederetur Ignatius, ſicut, & alijs Sanctis contigiſſe perſpicuum eſt, qui cęleſti lumine ab alijs certiorati ſunt, quid Deus requirebat ab eis; & ſcimus ex Euangelio Ioſeph Sanctiſſimæ Virginis ſponſum ab Angelo monitum, ne timeret accipere Mariam coniugem ſuam, quam acceperat iam, ſed dimittere cogitabat. Itaq; quod ex tunc Ignatij Societas coaluerit, nihil à Caietano dictis, vel in minimo officit, quæ grata in ſuo robore firmiter perſeuerant.

Matt. 1.

Ex quibus colligitur, & ſit dictorum firma concluſio, potuiſſe Caietanum hæc de Societate prædicere. In omnem terram, & in fines orbis terræ amplificandam, in poſteritatem, certiſq; legibus vinciendam, ſacris votis aſtringendam, atque in Religionem propriiſſimè dictam erigendam; Quorum, quia nihil tunc actum, nihil tunc cogitatum, diuinitus ſanè acceptum à Patre luminum, piè credendum eſt, quæ ſi mente conceperat Ignatius, atq; in arcano cordis clauſa tenebat; Ignatij quoq; mentem, & cor cæleſti munere illius, qui probat renes, & corda, penetraſſe fateri cogimur.

Deniq; quia diſtracti longiſſimis oris procul ab inuicem vixerant duo iſti Beati; & Caietanus inſuper ex Nigrono ſolitariam vitam ducebat, etiam quæ primo tempore cum ſocijs geſſerat Ignatius, vaticinaſſe Caietanum ambigere non debebat; imo, & hoc ipſum ſentire, etiam ſi Societas per id temporis abſoluta fuiſset, non quia futura tunc annuncialset, ſed Spiritus Sancti gratia Dei cognitam voluntatem, notam faciebat; nempè ne in noſtram ingrederetur familiam; ſed ſuam actuoſiorem perficeret, quam Deus ab Ignatio magnificentiſſimam expectabat.

IN EPISTOLAM TYPOGRAPHI Colonienſis.

ANIMADVERSIO XX.

PRudenter quidem egiſti Typographe,non amicum,ſed candidum Lectorem expetere: quandoquidem ad offuſas noctium tenebras profligandas,candor lucis requiritur Proinde candorem animi ingenuum, qui profectò non vni ſententiæ hærere permittit, obſtinatius, quam in alijs deſideras ſapienter; ſi tecum (vt par eſt) habueris, cognoſces vtiq; quis verum, non fucum quærat veritatis; Quis non fabulam in hiſtoriam, attamen hiſtoriam in fabulam commentetur; Quis non quid geſtum ſit ab hiſtoria petat, at quod geſtum eſt ab hiſtoria abradere acutius rimetur quam verius; Fictiones quis aculeatus affigat, & effingat; Deniq; quid geri potuerit, me nullatenus effinxiſſe, mihi tamen iniuſte affigi: Quæ certè, non mirum, ſi tempus tam veri, quam ficti auctor, velut adulterina, & expoſita diutius geſtauit in vtero, peperit ſerius, enutriuit vberius, palamq; fecit liquidius; nam veritas (vt ait Seneca) odit moras. Quam tandem ſi potenti ſua virtute ſuaſus amicè excipere volueris, candido accedas obſecro animo: nec dubito quin in ipſa agnita veritate, maiori voluptate frueris,quam ex eiuſdem ſimulata ſpecie recepiſti deceptus.

(✠)

IN EPISTOLAM TYPOGRAPHI Neapolitani.

ANIMADVERSIO XXI.

PRobum te ſemper agnoui, nunc callidiorem optaſſem; non enim hoſpitio recepiſſes opuſculum, neſciens ex qua peregrinatione vagum: *Quippe*, quis peracutus, & ſagax, in domum ſuam, ſuſpicioſis præſertim hiſce temporibus, eum excipit cuius vias ignorat, cuius ſemitas neſcit? Credidiſti propugnatorem veritatis te recepiſſe, lętus edidiſti, quod veritatem tutari putabas. Concepiſti mente honoris, lucis, haud parum S. Ignatio detrahi, ſi opus hoc in tenebris iacere diu permiſiſſes. Hæc autem cum non præſtet opella, authori vtiq; ac tibi præſtitiſſet in tenebris conticuiſſe magis, quam aſpexiſſe lucem: quod quidem vtrique honorabile, nunc certe probroſum: & tu quamuis deceptus, lectorem nihilominus non decepiſſes. Parco tibi, quia ignorans feciſti, cautius agas: alias, & Typis tuis iam prouidus factus, ne facile des, quod vir bonus à te peritiore molitũ, quid cõtineat neſcis.

FALLACIARVM RECOLLECTIO ex Synopſi.

ANIMADVERSIO XXII.

PRincipio Synopſim exiguæ præfixit opellæ: & corpus per ſe tenue veſte voluit dilatare laciniosâ: Tautologiæ vitio ſemper in eandem partem incumbit, & per eandem lineam ſerram reciprocat: vt ſcilicet eo pacto eius, qui minus ſapiens ſit poſſit mentem obruere.

Mea dicta contorquet, atq; peruertit; vt partes ſuas robuſtiores faciat apparere, ac pluribus contra me aptet vexationem, quæ omnia ipſius eneruato fundamento labuntur, nam vt gladio ſuo glorioſum perimam gigantem iſtum, vbi infirma imponuntur infirmis, vtraq; citius collabuntur, cum igitur inane ſit quod aſſumitur, inaniter omnia euaneſcunt, vt copioſius viſum eſt ſupra. *Syn.n. 2. 3.4.5.* *Animad. 5.6.*

Quis eis dixit, celeberrimis diebus Natalis Domini, ab Eccleſia ſua abfuiſſe Caietanum, & ſi abfuerit, inconueniens reputari? An ignorat Principes Eccleſiarum Epiſcopos ad tuendum gregem Domini Ordinatos, vt inquit Amb. Eccleſijs bene præpoſitos, ſollicitè illarum curam habentes, vt teſtatur Apoſtolus, & nihilominus rationabili de cauſa à grege ſibi credito paſtores optimos diu diſiunctos? non ne oues Caietani, quia Fundator, quæ Venetijs, quæue Neapoli? Charitas Dei, & proximi coegit Caietanum, feſſus itinere, ſenex, Athellæ ne conquieſceret, ſed nocte ipſa Neapolim excurreret, vt cum ſocijs, Aſcenſionis ſolemnia celebraret. Hæc eadem ad ſuorum ſolatium conſilium, & leuamen, Venetias vſq; perduxit. Nihil igitur contra Caietani prudentiam, nam charitas prudentiam non deſtruit, ſunt namq; virtutes ſibi inuicem coniunctiſſimæ, & affines, vt docent Theologi. *Syn.n.6.* *lib. 2. in Luc. c. 2.* *1.Tim.3.*

Quid tempus perſcrutatur, & moram, quam Caietanus fecit Venetijs? quandoquidem, neq; præfiniti temporis, neq; moræ fecerim mentionem, ſollummodo collocutionem tradidi, quam à maioribus fide digniſſimis accepi hoc equidem, & quæ his ſimilia indagantur, ipſa collocutionis ſola pro- *Syn.n.7.*

batio nihil habere roboris, nihil probabilis ſua virtute ſuadet.

A quo nouus è theologo nauta cognouit, Adriaticum hyeme traijci non potuiſſe? an forſan Caietanus, qui alias in Adriatico imperauit ventis, & mari, & fecit tranquillitatem magnam, conuertens procellam eius in auram, & ſilere faciens fluctus eius, hyemali tempore præpediri potuit; ſi Spiritu Dei afflatus (quod, & de alijs Sanctis legitur) id ſibi expedire cognouiſſet? Sed qui theologus, nauticam profeſſionem vſurpat extraneam, & à ſe alienā dum appetit diſciplinam, propriæ obliuiſcitur; marini vortices, & venti eam diripuerunt.

Syn.n.8. Tuſum, & Caracciolum inducit, vt probet diuturnam Caietani anno 1535. in Ciuitate Neapolitana præſentiam ad obſeruandum, atq; deprehendendum Berardinum Ochinum hæreticum. Attamen Tuſus, neque ochinianæ obſeruationis, neque alterius cuiuſpiam, quod tunc temporis Neapoli egiſſet Caietanus meminit, quare ex induſtria locus non eſt poſitus in
Caracci. margine: Caracciolus verò manifeſtè docet, à trigeſimo
pag. 240 quinto, ad trigeſimum nonum elapſum temporis, ab obſerua-
245 242 tione ad deprehenſionem Ochini: do verba: *Anno 1535. Neapo-*
240. *lim venit (Ochinus ſcilicet) longe maiorem mentium ſtragem dedit,*
240. *&c.* & paulo poſt. *Initium detegendæ impietatis à noſtris factum: quippe Caietanus perſpicaci vir ingenio rem odorare capit, &c.* & infra, *obſeruaueratque Ochinum, ab vſque anno 1536. qui in æde S. Ioannis*
242. *maioris concionatus fuerat, &c.* poſt pauca; *hoc vero anno 1539. Caietanus igitur qui, ad hunc audiendum: obſeruandumque, & ipſe ire, & alios dedita opera mittere ſoluerat, nihil iam cunctandum ratus Cardinalem Theatinum certiorem fecit, &c.* Igitur iuxta ea quæ Caracciolus tradidit, Thienæi commoratione in Ciuitate Neapolitana ad deprehendendum Ochinum anno 36. non egemus: quippe qui deprehenſus fuit anno 39. imo neque ad obſeruandum, cum ſatis temporis valde idoneum tribuat.

Syn.n.9. Incaſſum, & fruſtra ponderat Caraccioli dictum: *biennio ſci-*
Pag.247 *licet Domum ſtabuli ſumma cum laude Caietanum reſediſſe*, & quod non dici poſſit excurſio, diuturna decem menſium commoratio, quia nunquam tanto tempore affuiſſe Caietanum ipſe pronunciaui: quamuis Nigronus, vt hoc mihi obijciat incon-

conueniens, collectiuè aſſumit, quod ego diſtributiuè euenire potuiſſe, & conceſſi, & denuo confidenter concedo; initio ſcilicet anni 36. vel in alia illius anni particula (non tamen omnia ſimul complectens) ſi ibi tunc erat Ignatius, etiam adfuiſse Caietanum. Quare quod diſtributiuè ego, collectiuè aſsumere certè non debet, nec priores poſterioribus copulare menſes.

Cur certum, ac fixum tempus deſiderat? quod minimè eſt neceſsarium. Hinc pulchrè Caracciolus noſter. *Cum de re certiſſimus de tempore anxij eſſe deſiſtimus.* determinati nanq; temporis ignorantia, ſubſtantiam rei non deſtruit, alioquin inſtitutiones aliquorum Sacramentorum deſtruere cogeremur, quorum circumſtantia temporis, nec ab Eccleſia determinatur, nec à fidelibus certo ſcitur. pag. 245

Ad quid partitio, imo potius, perditio menſium? quæ nihil probat, vt probatum eſt *a*. Ad quid moras itinerum Ignatij conſtituit? quem nihilominus anno 36. Venetias peruentum fatentur omnes, & ipſe in primis conſentit Nigronus dicens; *licet affirmare ſub finem Martij anni 1536. ad eam celeberrimam Vrbem appuliſſe*. Cum autem totius difficultatis cardo ſit, Ignatij præſentia Venetijs, hanc vero ex oppugnantis conſenſu certo teneamus, ad quid tot temporum indagines? verborum lenocinia? paginarum lenibus oppleta folia? Quid prohibet dicere, etiā tunc, vel paulo poſt ſaltem adfuiſse Caietanum, in nullo Neapoli occupatum, neq; ab iſs, quæ inania opponuntur: Natalitiæ ſiquidem Epiphaniorum, & Cinerales celebritates, dudum præceſserant: Quadrageſimale tempus, & Paſchales lætitias eum ſuis Neapoli abſoluerat: poſt hæc, tempore placido, & itineribus ſatis accommodato, Venetias potuit peruenire: Inde Neapolim rediens opportunè obſeruare Ochinum, quod tanti fecit Nigronus, quem, quanto diutius incepiſse contendit, ad impediendum Caietanum Neapoli, tanto maioris temporis ſpatium ſatis idoneum ad obſeruandum, quin ad deprehendendum Ochinum, facile concedit Caietano, quod tamen ex Caraccioli ſententia minimè opus fuit; vt ex dictis iam ſatis conſtat. Synop. num. 10. 11. 12. a Anim. 3. num. 8.

Paruæ naſcentis familiæ negotiorum arduitatem, quę, qualiſq;

liſq; fuerit pertingere arbitratur; quaſi vnius pauperculi negotioſior non ſit quandoque, & anceps deliberatio, quam cuiuſuis Regnorum potentiſſimi Regis. Optarem proinde, vt renuntiet mihi, quam, à quo accepit reuelationem negotiorum tunc Patrum noſtrorum? Edicat nunc quæſo nomen Angeli, qui reuelauit, tempus, qualitates, circumſtantiaſque eorum; grauia, an leuia, cito, an tarde explenda, proſperè, an aduerſe? Venetijs præclaræ famæ, perpetuæq; commendationis Caietanus noſci non potuit, quia Neapoli, & multo minus Galliæ, & Hiſpaniæ remotis ab Italia Regnis nouam Religionem vix notam, reputat Nigronus. Huic argumentationi, quantum roboris ſit tribuendum, ipſum Nigronum iudicem appello, qui iuxta dialecticæ prima præcepta dijudicet. Quinimmo, & Gallijs, & Hiſpanijs: ſatis nanq; ſuperq; fuit, vt mox ortæ Religionis vbiq; fama loqueretur, Romæ in Baſilica Vaticana habuiſſe principium. *Quæ nanq;* (vt benè S. Leo) *vſquam gentes ignorarent, quæ Roma didiciſſet*. Quare haud ſtrictim Neapoli noſtratibus primo tempore contigiſſe credendum eſt; noſtros ſcilicet vix Neapoli fuiſſe tunc cognitos, quod certè quodam dicendi modo Caracciolus protulit. Et ne gratis hoc dictum credas. Audi eundem Carac. noſtratum famam, etiam tunc Venetijs, vſq; Neapolim peruaſam, ſic enarrantem. *Benedictus, &c. excitus Sanctitatis noſtrorum Patrum fama, quæ Neapolim vſq; peruaſerat, Venetias ire, &c.* Audi Epiſcopum Acerrarum odorem vbiq; diffuſum his verbis teſtantem. *Crebreſcente in dies Patrum Sanctimonia, nominiſq; rumore, ne dum in illa Ciuitate* (Venetijs ſcilicet) *verum etiam in remotioribus, & longinquis, Neapolim vſq; peruenit.* Et paulo infra obiectum mihi Carac. locum non ad Ciues Neapolitanos, ſed ad Patres referendum putat, qui quidem ſedem ideo mutaſſe opinatur, nam animarum lucro permoti, vix ibi cognoſci credebant, vberiorem proinde fructum ſibi promittentes, ſi intra Ciuitatis mœnia propius acceſſiſſent. Audi Deniq; Procerum Neapolitanorum Epiſtolas, ſacrumque Clementis VII. diploma, Patrum opinionem Neapolim vſque peruentam potiſſimum atteſtantia, quæ omnia ſatis luculenter fuſus eſt proſecutus. Hæc autem ſilentio obruere, quæ aperta videntur, & illud tantummodo in proſpectu ponere, quod

Ser. 1. de SS. Petro et Paulo.

Hiſ. Cl. R. cap. 4.

eod. cap. ſit. B.

eod. cap.

illa inficiari videbatur, parum candoris ſapit. Nullo modo ſibi pugnantes duo hi dicendi modi videntur. dum Venetijs moraretur, &c. & cum ex Hiſpania Venetias veniſſet: an forſan, qui aliquo peruenit, inibi morari, dum adhuc permanet, dici non poteſt? & qui moratur, certum non ſit, quod iam peruenerit? *Synop. num. 15.*

Oppoſitio certè, & contradictio vera, & realis eſt inter Maffeum, & Ioannem Lucernam ex vna parte; & Orlandinum ex altera; Illi, quia dixerunt. *per Autumni tempus*; iſte; *Vergente ad exitum anno* Pariſijs receſſiſſe Parentem veſtrum. Quare ſi ex varia diuerſorum narratione facta non vera inferre intendit; hoc certè mihi non competit, ſed illi, qui ſcriptorum ſuorum diſſonantia vltro fatetur. Tollat ergo quod ſuum eſt, & vadat. Nec tamen virum eruditiſſimum ignoraſſe credo conſuetudinem ſcripturarum, non iiſdem fermè verbis ſanctorum geſta narrandi: quæ non idcirco (niſi ab impijs) mendacij redarguuntur. Sic Matth. docet acceſſiſſe ad Ieſum Centurionem, quem Lucas Seniores Iudæorum miſiſſe tradit. quid ergo ex hac varietate narrationis, colligi ne poteſt nihil eſſe certi de hac curatione pueri Centurionis? abſit. Audi Auguſtinum. Diligenter aduertentes, intelligamus Matthæum non omni modo deſeruiſſe vſitatum morem loquendi: non ſolum enim dicere ſolemus acceſſiſſe aliquem, etiam antequam perueniat illuc, quo dicitur acceſſiſſe; verum etiam ipſam peruentionem, cuius adipiſcendi cauſa acceditur dicimus plerumq; factam; & ſi eum ad quem peruenit non videat ille, qui peruenit: cum per amicum peruenit ad aliquem, cuius ei fauor eſt neceſſarius; quod ita tenuit conſuetudo, vt iam, etiam vulgo peruentores appellentur, qui potentium, quorumlibet, tanquam inacceſſibiles animos per conuenientium perſonarum interpoſitionem ambitionis arte pertingunt. non ergo abſurde Mattheus, etiam quod vulgo poſſit intelligi per alios facto acceſſu Centurionis ad Dominum compendio dicere voluit. Acceſſit ad eum Centurio. Verumtamen non negligenter intelligenda eſſe etiam Sancti Euangeliſtæ altitudo myſticæ locutionis ſecundum quam ſcriptum eſt in Pſalmo accedite ad eum, & illuminamini: Proinde, quia

Maff. lib. 2. vitæ c. 1. Luc. lib. 1. vit. c. 4. Orl. lib. 1. nu. 99.

Matth. 8. Luc. 7.

lib. 2. de cõſ. Euág. cap. 20.

 „ fidem

„ fidem Centurionis qua verè acceditur ad Ieſum ita laudauit,
„ vt diceret; non inueni tantam fidem in Iſrael, Ipſum po-
„ tius acceſſiſſe ad Chriſtum dicere voluit prudens Euangeli-
„ ſta, quam illos per quos verba ſua miſerat. Idem S. Euan-
Matt. 17. „ geliſta Matthæus. *Et poſt dies ſex aſſumpſit Ieſus, Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum*
Luc. 9. *ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos*, quod nihilominus Lucas poſt dies fere octo contigiſſe narrat. *Factum eſt autem poſt hæc verba fere dies octo, & aſſumpſit Petrum, &c.* ſed bene Lyranus. *Poſt*
in 17. Matth. *dies octo, quia Mattheus non computauit diem in qua Chriſtus fecit eis promiſſionem, nec vltimam in qua transfiguratus eſt; Sed computat tantum tempus intermedium, & ideo ſecundum veritatem computando totum tempus à promiſſione facta vſq; ad transfigurationem, transfiguratio fuit in octaua die. ratio autem huius, quia iſta transfiguratio facta eſt ad oſtendendum diſcipulis gloriam futuræ Reſurrectionis, illa autem erit in octaua ætate mundi, & propter hoc figurata eſt hic per octauam diem.*

Matth. 5. Luc. 6. Rurſus, Matthæus octo Beatudines poſuit, quarum quatuor tantum Lucas meminit. Vnde mirabiliter Ambroſius. *Quatuor*
lib. 5. Luc. c. 6. *tantum Beatitudines Sanctus Lucas Dominicas poſuit, octo verò Sanctus Mattheus, ſed in illis octo, iſtæ quatuor ſunt, & in quatuor iſtis illæ octo: his enim quatuor veluti virtutes amplexus eſt Cardinales, ille, in illis octo myſticum numerum reſeranit; pro octaua enim multi ſcribuntur Pſalmi, & mandatum accipis octo illis partem dare, fortaſſe benedictionibus; ſicut enim ſpei noſtræ octaua perfectio eſt, ita octaua ſumma virtutum eſt.*

Ipſemet Sanctus Doctor acutè animaduertit adhuc, vt quamlibet, vel leuem commentitiam oppoſitionem inter Ioannem,
lib. 10. cõ. in Luc. & Lucam de Domini diſcipulis ab eis auertat, dicens. *Conſideremus qua gratia ſecundum Ioannem crediderint Apoſtoli, qui gauiſi ſunt: ſecundum Lucam, quaſi increduli redarguantur: ibi Spiritum Sanctum acceperint, hic ſedere in Ciuitate iubeantur quoadusq; induantur virtute ex alto: & videtur mihi ille, quaſi Apoſtolus maiora, & altiora tetigiſſe, hic ſequentia, & humanis proxima: hic hiſtorico vſus circuitu, ille compendio: quia, & de illo dubitari non poteſt, qui teſtimonium perhibet de ijs, quibus ipſe interfuit, & verum eſt teſtimonium eius: & ab hoc quoque, qui Euangeliſta eſſe meruit, vel negligentia,*

tia, vel mendacij ſuſpicionem æquum eſt propulſare. Et ideo verum putamus vtrumq; non ſententiarum varietate, nec perſonarum diuerſitate diſtinctum. Expende verba. *Et ideo verum putamus vtrumque, non ſententiarum varietate, nec perſonarum diuerſitate diſtinctum.* Nonne quod Sanctæ mulieres erga Domini Sepulchrum ſtudio humanitatis piè geſſerunt, non eodem modo apud Sanctos Euangeliſtas ſcriptum reperimus? Lucas quippe ſic habet. *Vna Sabathi valde diluculo venerunt ad monumentum portantes, quæ parauerant aromata;* & paulo poſt, quænam illę eſſent declarans, ſubdidit. *Erat autem Maria Magdalena, & Iohanna, & Maria Iacobi, & cetera, quæ cum eis erant.* Marcus vero cum Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi, Mariam etiam Salome extitiſſe commemorat, nihil prorſus de Iohanna, aut cęteris mulieribus dicens. *Et cum tranſiſſet Sabathum Maria Magdalena, & Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum.* Matthæus de Maria Magdalenæ, & altera Maria tantummodo loquitur, vnctionem omnino reticens. *Veſpere autem Sabathi venit Maria Magdalena, & altera Maria videre ſepulchrum.* Ioannes tandem nouiſſimus omnium, neq; vnctionis, neq; mulierum, ſed Magdalenæ ſolius meminit. *Vna autem Sabathi Maria Magdalenæ venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent ad monumentum.* Amplius, Marcus, orto iam Sole, Ioannes, cum adhuc tenebræ eſſent, Mariam ad monumentum veniſſe teſtatur. Quid ergo? concedenda ne foret hæc illatio, Sancti Euangeliſtę minime ſibi conueniunt, ergo vana eorum eſt narratio? perſpicuè quidem hæretica eſſet, & praua, ab omni prorſus veritate procul; Catholicæ ſiquidem Eccleſiæ recta fides (vt Auguſtini verbis vtar) improbat tale commentum, & diabolicam doctrinam eſſe cognoſcit. Dicendum proinde, & firma fide fatendum, quod fideliter Gandauenſis fatetur Epiſcopus his verbis. *Non ob id contrarios eſſe Euangeliſtas, quod vario modo ſuas inſtituant narrationes, ob id, quod vnus commemoret quædam, quæ alij prætermiſerunt: imo ſi quis probè perſpexerit deprehendet, non ſolum Euangeliſtas nulla in re diſſentire, ſed maximè conſentire; & nuſquam alias magis ſe ſe iuuare: vt ipſorum in narrando varietas, fidem magis augeat, quam infirmet.* Hæc ille. Auguſtinus vero. *Quod Lucas dicit; valdè diluculo; & Ioannes mane, cum adhuc tenebræ eſſent:*

Luc. 24.
Mar. 16.
Matt. 28.
Ioa. 20.
tract. 34. in Ioa.
cap. 145.
De conſ. Euãg. l. 3 cap. 24.

eſſent : hoc intelligitur Marcus dicere : Valde mane, oriente iam Sole: idest, cum Cęlum ab Orientis parte albeſceret, quod ſit vtique Solis Orientis vicinitate, eius enim eſt ille fulgor, qui nomine auroræ appellari ſolet : ideo non repugnat ei, qui ait : cùm adhuc tenebræ eſſent : die quippe ſurgente, aliquæ reliquiæ tenebrarum tanto minus ſunt, quanto magis oritur lux : nec accipiendum eſt, quod ait, valde mane orto iam ſole, tanquam ſol ipſe iam videretur ſuper terram, ſed de proximo adueniente in has partes Sole, ideſt ortu ſuo iam Cælum illuminare incipiente. Probè itaq; non probos, non pios obſeruauit Hieronymus, ſed improbos, impioſq; hanc S. Eccleſię ſcriptoribus impoſuiſſe calumniam; dicit enim. *Arguit Prophirius, & Iulianus Auguſtus imperitiam Hiſtorici mentientis*. Quare ex duorum varia narratione, non benè rei geſtæ veritas denegatur, quā vnam eſſe quis ambiget? quandoquidem ſubſtantia intacta permanet; & hinc impugnandi ſumere occaſionem, lubricam tantummodo mentem indicat oppugnantis.

lib. 1. cō. in Matth. cap. 9.

Quid pugnabat cum bonis moribus Ignatij noſtrates adire? certè ſyngraphas mercatorias, quas ſecum habebat, ad prudentiam, non in odium adhibuit paupertatis, quam mirificè ſemper coluit, & iugiter adamauit, quæ ſi Ignatium cohibere non valuit, quin nobili loco natus, & in aula Regia educatus è mendicatu aleretur, procuIdubio ne ad noſtros ſecederet, neutiquam retinuiſſe fatendum eſt: plus nanque cum generis nobilitate Ignatij mendicaſſe pugnabat, quam apud Religioſos, & pios viros, non dicam intrudi, ſed pie recipi hoſpitio, humilem, & deuotum hoſpitem poſtulaſſe. Prima vice, quando iam tunc è mundi illecebris ablactatus Venetias peruenit Ignatius, Sacra Ieroſolymorum loca veneraturus, clariſſimis ortum natalibus in Porticis Sancti Marci pauperem, & peregrinum accubuiſſe nihil dedecoris, nihil notæ fuiſſet. Nunc ſecundo ibidem reuerſus, denuo Ieroſolymam luſtraturus, eminentiori nitens Sanctitate, quando magis, magiſque progrediebatur in dies, ſi apud nos diuertiſſet, illicò inofficioſus, & inurbanus exiſtimandus foret. Profectò, ſi quod mihi gratis obiectum eſt, iure nunc ego obijcerem, coniecturas ſcilicet, & opinationes, ſatis minus dicerem, quippe qui, vtinam coniecturis, & opinationibus; ve-

Syn. n. 3.

cum etiam fictionibus, adinuentionibuſque inſidioſe inte-ſtor.

Quid me allegat, quem ſemper ablegat? quine (cum incertum ſit tempus) ſicut dixi, quod potuit ſub initio anni 36. cum Ignatio congredi, in quo me allegat, ſic etiam decem menſium temporis aſſignaui, in quibus ab omni negotio expeditus Caietanus potuit adeſſe Venetijs, cuius ſi meminiſſet ſuperuacaneum vtique cognouiſſet niti meo dicto, qui non determinate initio anni poſui Caietanum Venetijs, quin etiam in alia parte eiuſdem anni contingere non potuiſſet; ita tamen, vt ſi nunc, non tunc; & è contra. Cur Caracciolum adducit in teſtem, cuius dicta ſuam ratiocinationem explodunt? quæ ſupra videnda remitto, repetitionem euitans. *Syn.n.16* *§.8.n.23* *Syn.n.8.*

Quid ei prodeſſe poterit Iudicium patris ſui extendere, & longum facere? certum eſt nec inficiatur Venetijs cum Io: Petro Carrafa conſuetudinem habuiſſe Ignatium; certum eſt etiam Carrafam anno 1536. menſe Octobris inde migraſſe: igitur velit, nolit, quo tempore Venetijs cum Carrafa conſuetudinem habuit Ignatius, cum Caietano agere potuit. Si viginti mihi, & amplius ſcriptores obijcit, qui Ioanni Petro Carraſæ tribuunt inſtitutionem; his plures illi recenſeam, qui etiam Caietano tribuunt inſtitutionem. Si à Paulo in eius vita religionem inſtitutam, eiq; dediſſe principium dixi; hoc verius, & proprius de Caietano enunciaui. Si Caracciolo credit, iam cognouit penes Epiſcopum Theatinum, & Caietanum ſummam rerum tunc conſtitiſſe; ſi non credit, eum allegare non expedit; Cur eiuſdem ſincera dicta corrumpit? quomodo vnius particularis domicilij adminiſtratio, ſumma rerum dici poteſt? quid neceſse erat, vt Ordinis noſtri authores conſuleret Ignatius? quis dixit non conſultum Carrafam, de quo multa congeſſit? ea tamen tacitus prætermitto, quia euanuiſſe iam conſtat. Remanet igitur firma collocutio, & ſciat ſiccine eneruari non poſſe, quod antiqua firmat traditio. *Syn. nu. 17.18.* *Syn. nu. 19. 20. 21. 22. 23. 24.* *Animad. 11.*

Digitized by Google

a §.1. vſq; ad §.13.

ANIMADVERSIO XXIII.

Hiſt.diſp. TEl is araneearum inutilibus tueri ſe credit Nigronus; &
num.2. tutò in me acuere calamum, perſuadere contendit lega-
l.1.§.quo li illo celebri dicto. Hęredis intereſt Defuncti exiſtimationem
ties. de i- purgare. Sed percontari libet, numquid Defuncti exiſtimatio
iurijs. benè purgatur maculam inferendo vbi ea non eſt? Certè hoc
lomne ff. nouum purgationis genus eſt. Inter præcipuas S. Dominici lau-
de reſtit. des, hanc ponit Eccleſia. *Prius Oxomenſis Eccleſiæ, deinde ordinis*
Prædicatorum auctor fuit. Poteſt ne in Ignatio reprehendi, quod
Brev.Rō. S. Dominico laudi datum eſt? hodieq; & ſemper erit maximę
4. Aug. gloriæ? cuius iudicio ſtandum eſt? Quod ergo viro Sanctiſſimo,
Prędicatorum parenti optimo, culpa non fuit, neque S. Ignatio
erit.

§.1.n.6. Lacte, & melle calamus ab ipſo promittitur imbuendus; in
melle dulciſſimæ charitatis, in candidiſſimæ, ac ſinceriſſimæ
veritatis lacte intingendus ſtylus; ſermo dulcis, & candidus,
Animad. charitatis calamo, non contentionis ſtudio ſcribendus, veritas
1.22.23 ſolummodo indaganda. His verò quam plurima ſibi pugnan
24. 25. tia, neq; cohærentia: plura non firma; tot ſophiſmata, quibus
26. parua cumulata eſt opella, quonammodo ad inuicem copulan-
tur? Certè quod blande promittitur ſeriò non impletur.

§.2.n.8. Tutus eſt, qui lege facit, ait ipſe; ſed, quæ lex concedit,
vt quis ſuſpicetur ne dicam iniuriam ſibi affingat illatam, quam
Eccl.3. vlciſci liceat? *Nemini gloriandum de contumelia Patris ſui: non enim*
num.12. *eſt illi gloria eius confuſio:* Sed, quæ contumelia fuit S. Igna-
tio, quod noſtrum Ordinem ingredi concupierit, vt probatum
Animad. eſt? Neminem læſimus, neminem prouocauimus; nulla prorſus
10. illata iniuria eſt: ergo nulla omnino iniuria vindicanda. Ille ab
opinione caueat, quæ fallax eſt, qui per nebulam, aut aquam res
inſpicit. Et, qui cum hæreticis cominus pugnat, non debet hæ-
reticorum calumnijs viam ſternere, bonum malum autumans.

Quid

Quid magni momenti me omittere, vel luculentius referre obſeruatur? Hæc ſunt duo mea dicta, alterum in Vita B. Patris mei Caietani, In Epiſtola ad perilluſtrem Comitem Marcum Thienæum, alterum; quæ vt omni prórſus ſuſpitione careant, iiſdem omnino verbis ab eo recenſita ponam. *Primum erat, cum à Spiritu Sancto non vocari ad ordinem Theatinorum Patrum; & hoc omittitur in hac compendiaria repetitione narrationis. Alterum erat, ſeruitium Dei fuiſſe futurum, vt ipſe fundaret aliam præsbyterorum religionem actuoſiorem. Verum in hac epiſtola ſcriptum legimus, illi à Thienæo hanc militiam interdictam fuiſſe, quod is Deo, haud dubiè, inſpirante accepiſſet nouæ prolis actuoſioris parentem futurum eſſe feliciſſimum*: hæc ille. A quo peto, quando in Epiſtola ſcriptum legit, illi à Thienæo hanc militiam interdictam fuiſſe, quod is Deo haud dubiè inſpirante, accepiſſet. quid diuerſum ſonat, ab eo quod dictum prius fuit, cum à Spiritu Sancto non vocari, ad Ordinem Theatinorum Patrum? Nunquid Spiritus Sanctus Deus non eſt? an, quando Deo dicimus inſpirante, Spiritum quoque Sanctum inſpiraſſe non debemus credere, & confiteri? Idem prorſus ſunt, à Spiritu Sancto non vocari Ignatium ad Ordinem Patrum Theatinorum, & hanc militiam illi à Thienæo interdictam fuiſſe; eo quod is, Deo haud dubiè inſpirante, accepiſſet. Idem ſunt, Deo inſpirante accepiſſe, & diuinitus accepiſſe, nam quæ à Deo ſunt diuinitus ſunt. Nihil igitur omiſſum, nihil additum: nullo igitur iure aliqualis additio, aut diminutio mihi imputatur. §. 3. num. 10. 12.

Quia non à Sancto Spiritu ad noſtram Religionem vocari Sanctum Ignatium dixerat Beatus Caietanus, ſed ad aliam actuoſiorem fundandam præordinauerat illum Deus; ad circo petitionem Ignatij, noſtrum Ordinem adeundi, ab humano, vel diabolico ſpiritu proceſſiſſe, ad inconueniens deducendo nulla ratione aſſeritur: an ignoratur, vtrumq; ab vno, eodemq; Sancto Spiritu certè factum? Sicut à Deo Abrahæ primo iniunctum, & poſtea vetitum fuit filium immolare: hinc Scriptura dixit. *Tentauit Deus Abraham*. §. 3. nu. 11. Gen. 22.

Si probabilia ex Ariſt. ſunt, quæ videntur omnibus, aut plurimis, vel maximè familiaribus, & probatis: Hinc nihil pro Nigrono probatum deducitur, quamuis pro ſe dictum inueniam; §. 4. nu. 14. Top. lib. 1. cap. 1.

am; quinimmo nullus propterea remanet ambigendi locus, vbi plurimorum familiarium, & probatorum habentur teſtimonia; neq; dehoneſtamentum Patris reputare quis debet, quod omnium iudicio, & maximè ſapientum, nullum prorſus dedecoris ſpecimen habet.

Animad. 2.

§. 5. & 6 nu. 17. et 19. Conſentio in itineribus Caietani, quæ numquam inficiari præſumam; ſed ex illis inferre, non potuiſſe Caietanum Venetias excurrere, quod potenti virtute traditio impugnat, in hoc

§. 8. nu. 23. equidem conſentire non poſſum, nec aliquando conceſſi; imò non obſcurè apparet, decem ſupereſſe menſes, in quibus Neapoli minimè occupatus Caietanus Venetias petere potuit, quod

Animad. 2. (pace ipſius) haud ſine vlla probatione pronunciatum eſt, cum traditione firmatum ſit.

§. 7. nu. 21. Si in hac controuerſia non niſi, quæ veriſſima cenſentur exiguntur; quid officit veritati prudentia, conſtantiaq; Ignatij? Nunquid S. Dominico prudentior, atq; conſtantior? Quid ſociorum electio? Votorum nuncupatio? nunquid parenti optimo hæſuri non erant filij, aut à patris monitis receſſuri? an quæ vota fuere ſimplicia, ſolemnia minime eſſe poſſent? Quæ Deo ſemel promittuntur, offerri denuo prohibetur? Prædicent S. Ignatium veſtri ſcriptores, & qui veſtri Ordinis non ſunt, virum prudentem, ſapientiæ plenum, magniq; animi: ſed quid inde? nonnè ſapiens, prudenter, & fortiter, diuina luce perfuſus, eſt aggreſſus, quod carnali ſapientiæ fatuum ſonat?

§. 7. nu. 22. pag. 234 249 250 Anno 36 43. 47. Aequiuocè vtitur cōmoratione perpetua B. Patris noſtri Caietani in Ciuitate Neapolitana; nam ſi eam ſic intelligit, vt nullo vnquam tempore illinc diſtractus fuerit, & hoc falſum conuincitur, Caracciolo teſte; inſuper Actorum capitularium teſtimonio, vel quod aliquando inde diſceſſerit reuerſurus, & hoc medio, quod probandum intenditur non probatur: quinimo argumentationem declarat ſophiſticam. Sexdecim rationes,

Animad. 7. quarum exactionem vberrimam pollicetur, euanuiſſe, iam monſtratum eſt ſupra.

§. 8. nu. 24. 25. Cardo, in quo tota vis defenſionis vertitur, non eſt, quem credit Nigronus; nempe: *Collocutus eſt Ignatius cum Caietano Venetijs, quia Caietanus Neapoli Venetias in decem menſium intercapedine potuit excurriſſe;* Sed multis probata traditio: quare non duo-

Animad. 2.

bus

bus quos produceit modis reuellitur; imò potius, quæ in eum, conſtruxit, refellit: illa prætermitto, ne idem cogar repetere, quod in parua præſertim opella vitio aſcribi poteſt. *Animad. 5.6.*

Inutiliter laboratur, vt Caietano acceſſus Venetijs interdicatur, quo tempore ibi degebat Ignatius, & Caracciolum, meq; teſtes adhibet, qui Caietanum Venetijs Neapolim profectum, æſtiuis caloribus non ſubeſſe tradidimus, quod plurimi faciendum eſt: neq; nauigio iter in mari peragere; quod ex hiſtoria vtriuſq; facere conſueuit Caietanus; tunc temporis periculoſum eſt; neq; tam longam moram Caracciolus, & ego in perſcrutando Ochino poſuimus, quin tribus, aut quatuor concionibus abſolutis, iter arripere, etiam equitando, potuiſſet; nec Caracciolus niſi anno 39. deprehenſum deſcribit hæreticum, & ſi 36. obſeruatum ponat. *§.9.nu. 27. Carac. pag. 220 & 249. Caſt. in Vita B. Caiet. c. 7 cap. 8.*

Strident, ſed non ſtringunt, quæ niminm multa congeſſit; profectò ſi, vt innuit, ſciſcitarer, quæ tam graues cauſę tam longi itineris ſuſcipiendi? quæ negotia, quorum, vel tenuiſſima nuſqũ amreperitur memoria? quæ neceſſitas Venetijs conueniendi, qui non multo poſt Romæ ad comitia erant congregandi? continuo ſine hæſitatione reſponderem non eſſe meum, eorum, quę à maioribus meis geſta ſunt, inquirere rationes; ſed humili ſubiectione venerari; nec ab re factum credere, quod Sancti viri fecere, & traditio factum docet: hoc namq; docuerunt nos, qui ſpiritualis vitæ pręcepta tradiderunt nobis; qui nos Domino genuerunt, Sanctæ ſimplicitatis lac ſuauiſſimè propinarunt ſolidoq; cibo cęleſtis alimoniæ nutrierunt, Sanctorum exempla ſecuti, atq; eorum ſalutaribus monitis Sanctiſſimè inſtituti. Dicam proinde quod S. Fulgentius. *Hoc eſt quod Sancti Patriarchæ, atq; Prophetæ ante incarnationem Filij Dei diuinitus acceperunt: quod etiam Sancti Apoſtoli ab ipſo Domino in carne poſito audierunt, & Spiritus Sancti Magiſterio inſtructi, non ſolum ſermone prædicauerunt: verum etiam ad inſtructionem ſaluberrimam poſterorum ſcriptis inditam reliquerunt. Enimuerò Abraham, vt inquit Apoſtolus, contra ſpem in ſpem credens, vnigenito filio ſuo non pepercit.* Iſaias clamat. *Væh qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudẽtes.* Hieremias, Iugũ Domini ab adoleſcentia portare nos monet, dicens, *Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* *§.10.nu. 29. Animad. 2.3. De fide ad pet. Rom. 4. Gen. 22. Iſa. 5. Thren. 3.*

Pſal.130 *ſua*. Dauid Rex,& Propheta; *non ambulauit* (vt cecinit) *in magnis*
Act.9. *neq; in mirabilibus ſuper ſe*. Paulus *apertis oculis non videbat*;
Rom.12. Idem Apoſtolus prædicat, *nolite eſſe prudentes apud voſmet ipſos*,
in Epiſt.ad *vt ſcilicet* (inquit Sanctus Thomas) *iudicetis id ſolum eſſe pruden-*
Dom. *tia, quod vobis videtur*. Et ipſe Dominus docet, *Si quis vult ve-*
Matt.16 *nire poſt me abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me*.
Supra quæ Grego. *Niſi quis à ſemetipſo deficiat, ad eum, qui ſupra*
ſemetipſum eſt, non appropinquat, & Ber. *quia non reſpicit ad ſe, ſed ad*
Ser.1. de *illum, qui eſt ſuper ſe*. Quamobrem nihil curioſius inueſtigandum,
Ap. Pet. percontandum nihil; ſi in via Dei progredi concupiſcimus.

Si Bonifacius, vel Carrafa, vel alius quiſpiam moderabatur
tunc ordinem; impertinens labor eſt, & ad quod indagatur in-
utilis, nam omnes ſimul regebant, quorum ille caput agnoſce-
batur, qui domui capitulari præerat, nec vnquam, niſi vltrò
pag.280 errare volueris, è memoria decidat, quod & Caracciolus tradi-
dit, *ſummam rerum apud Carrafam, & Thienæum tunc extitiſſe*. Reli-
quis coniecturis, quia iam ſatisfactum fuit, ad alia properamus.

§.11.nu. Quid prodeſſe poteſt ſenectus Caietani? quem ſenem itinera
37. peregiſſe hiſtorici noſtri non ſemel vnanimiter aſſerunt. Vellem,
Carac. vt dicatur mihi, quando ſcriptores noſtri ita locuti ſunt, vt
nu.249. Caietanum Neapoli omnimode receſſiſſe negent? Et ſi aliquan-
250. do receſſiſſe concedunt, quis ei tunc vetuit Neapolitanæ do-
mus Præpoſito, nulla ab ea ratione, nullo temporis interuallo,
diſcedere? Et ſi non ſui iuris Caietanus, quia religioſus. Nun-
quid religioſi, qui ſui iuris non ſunt, iter habere non poſſunt?
miror deſiderari ſcriptores, quibus ſanctorum itinera literis com-
De feſtis mendentur, quod Suarez eiuſdem familiæ, impertinens credit:
Sanctorũ hæc ſunt verba illius. *Parum profectò refert, quod priuata hiſtoria*
c.9.n.15. humanæ illorum temporum, illius peregrinationis Iacobi mentionem
non fecerint; tum quia in ea Iacobi peregrinatione, nihil accidit adeo
publicum, & prodigioſum, vt in vniuerſum orbem illius fama exierit,
quo poſſent excitari hiſtorici ad id memoriæ prodendum; tum etiam quia
in illis temporibus non fuerunt in hiſpania diligentes ſcriptores rerum,
Pag.177. *quæ in ea gerebantur*. Hoc autem nobis ſæpiſſimè contigiſſe, non
202.214 ſemel conqueritur Caracciolus, potiſſimum in Vita Caietani,
250. cuius ſcribendi principium à noſtratum iniuria fecit. *Tempus*
atrox (inquiens), *& ſeuera noſtratium iniuria; Etenim*, vt idem eſt

auctor,

auctor; *non Caietani remiſſa virtus, quæ nunquam non acerrima fuit, ſed noſtratium taciturnitas, qui diligentius viuere, quam ſcribere maluerunt, in culpa eſt.* Non eſt igitur his reſpondere ad argumentum, ſed vim argumentationis meæ ſicco veſtigio prætetire. Ea hæc eſt, S. Ignatius Lutetiæ ſtudiorum cauſa conſtitiſſe traditur; & tamen in Belgium, & Angliam bis, & ter excurriſse conceditur ergo non benè deducitur, Beatus Caietanus non fuit Venetijs, quia Neapoli Præpoſitus morabatur. Senectus Caietani, & Iuuentus Ignatij, ſui eſse, vel alterius iuris: quod ſcriptores vnius excurſionis, non autem alterius meminerint, ad rem non pertinent, neq; punctum tangunt.

Qua mente argumentum ducatur attende. *Sed, & de B. Caietano non temerè id effuſum,* (dicebam ego) *is enim, vt erat erecto vir animo, & in proximorum ſalutem accenſo, temporis compendio pleraq; incommodis itinera aggredi ſolebat, vel animabus, vel ſui ordinis bono profuturus; liceat nunc vnius, vel alterius reminiſci, quorum nec Tufus, nec Caracc. meminit, &c.* hæc ego. Aſt Nigronus, *affert hic quoq; in probationem excurſionis Venetæ duas excurſiones B. Caietani.* In probationem excurſionis Venetæ, dicit ille, quod non temerè de B. Caietano id fuerit effuſum, aſſerui ego; quia poſſibilitas negabatur, at non hinc, ſed ex traditione probata eſt excurſio. Quod poſtmodum iam ſubdidit: *Veronenſis excurſionis mentionem feciſse Epiſcopum Acerrarum cap. 61.* eiuſdem capituli lectio vanum hoc eſse declarat, in quo nunquam appellatum Caietanum inuenies; tantum abeſt, quod eundem Veronã migraſse commemoret. Caracciolus vero pag. 270. quem citat Nigronus, (ſed vitio impreſsoris 280.) *Bonifacius, & ſeptem alij Veronam mittuntur à Theatino Epiſcopo, & à Caietano, penes quos rerum ſumma erat.* Porro pagina 245. incolatus, non autem excurſionis texit hiſtoriam, quod eiuſdem ipſa verba declarant. *Igitur Caietanus Veronam aliquando abiſt, & incoluit vna cum alijs noſtratibus eaſdem Nazarenas Cellulas, quas anno 28. Bonifacius incoluerat,* quæ quidem profectio ab ea prorſus diuerſa eſt, quam ego in probationem itinerum Caietani temporum compendio adduxi, vt in emendatioribus codicibus legitur; & in ijs, qui Typographi culpa extant inemendati, certè ipſe enarrandi modus demõſtrat; primo nanq; Verona ſeceſſit, ibiq; aſperrimæ vitæ ſpecimen de-

§. 12. nu. 38. 39.

dit;2. Veronam adijt à Gilberto rogatus, vt ſibi fluctuanti opem ferret. Si ibi erat, cur è Venetijs, vt illuc ſe conferret enixè precatur? quid rogat, quaſi abſentem, quem, ſi eadem eſset manſio, habebat præſentem? Hæc autem ſi non aduertit, in quo tamen ex parte, commiſeratus, excuſo, quem oppugnandi libi-
§. 12. nu. do vincebat: firmiorem nihilominus præ oculis habebat proba-
38. tionem; illam vtiq; quam plenam, probatiſſimam faciunt manu ſcripta Archiui S. Pauli, quæ alteram ab altera diſtingunt, vt nihil magis, & cum ipſa, dicta plenè contineant: nihil deſiderandum, nihil ſupereſt producendum. Neq; prætermittam Romanas excurſiones, quarum Tufus, & Caracciolus meminerunt; ſatis ab his eſſe diuerſas; quod, vt magis manifeſtè fiat, eadem omnino verba hic tranſcribam, quibus in codicibus exarata inueniuntur.

Tufus hæc habet. *Fratris Baptiſtæ mandatis obtemperans è Venetijs Romam venit.*

Caracciolus. *E comitijs Romæ celebratis Neapolim rediens, &c.*

Caſtaldus. *Vt intellexit; magnæ exiſtimationis, perfectioniſq; virum, quotidie Sanctum Miſſæ Sacrificium Deo minimè offerre, non pepercit labori, & Neapoli, Romam vſq; perrexit, vt prædictum Eccleſiaſticum, ad quotidie celebrandum induceret, quod feliciter aſsecutus, vix nocte vna in Vrbe commoratus, confeſtim Neapolim eſt reuerſus.* Tres Hiſtorici, non eandem, ſed tres diuerſas excurſiones memorauimus. Quamobrem iactare deſiſtat, quod à me narrata itinera me feriant: quæ certè cum ab ijs ſint omnino diuerſa, quæ Tufus, & Caracciolus literis conſignarunt, ipſum, non me percutiunt; meq; ab omni prorſus infidelitatis labe neceſſe eſt, vt fateatur innoxium: quippe qui fideliter eorum ſingula loca notaui.

FAL-

FALLACIARVM RECOLLECTIO
ex Hiſtorica Diſput.

a §.13. vſq; ad §.21.

ANIMADVERSIO XXIV.

QVis, vel leuibus coniecturis, quæ nihil probant negare §.13.nu.
poterit, Caietanum Venetijs, cum Ignatio conſtitiſſe, 42.43.
quem cum Caietano Venetijs collocutum, traditio firmat? non §.15.nu.
ergo difficile credat, quod jam factum traditio probat: an mi- 45.
nimè conſtare dici poteſt, quod traditione conſtat abundè? meminerit de manſione Apoſtolorum Hieroſolymis ex Scriptura conſtarę, de excurſione Iacobi ad Hiſpanias nihil ſcriptum: nemo tamen ex eo Hiſpanicam profeſſionem iure negauerit; vt benè Suarez ex veſtris obſeruauit. Non ergo ad effugium excogitatum dicatur, quod traditione firmari monſtratum eſt; nec vis in verbis fiat, quæ vix aerem verberant, & vt ait Apo-
ſtolus. *Velut æs ſonans, aut Cimbalum tinniens.* Quare ea inuti- Synop.
lia prorſus eſſe, ipſa quidem facta decernunt. Recolatur pro- num.2.
pterea, quod ſponte ſua conceſſit Nigronus, nimirum Anno 36. Sanctum Ignatium ſub finem Martij Venetias perueniſſe, & duos illos Beatos componi potuiſſe intelliget, & quæ multa, vel enucleata, vel mox explicanda dixit, infirma apud ſe,
& refrixa manſerunt: ea tamen ſuo loco videnda remitto. ſ Synop.
Illud inſuper à Nigrono obſeruatum, ne memoria decidat eodē nu.
oro: Nihil Lutetianæ Ignatij manſioni ab anno 1528. vſque ad 1535. obſtare, quod ſæpius in varias Regiones eodem tempore abierit; quandoquidem hiſtorici veſtri, non continuatam, imò aliquoties alio perrexiſſe literis conſignarunt; nam eadem ratione Neapolitanam ſtationem Caietani obiectaſſe, mihi neceſse eſt vt retractet, ne iniuſti Iudicis crimen incurrat.

Ad effugium excogitatum dignoſcitur; nempe Ignatium §.15.nu.
nimium ſollicitum inquirere Hiſpanos, à quibus, vt fieri ſo- 48.
let, auxilio peregrinus, hiſpanus iuuaretur; nam contrarium
prorſus de eo habet Ribadinera his verbis. *Venetijs oratorem* ſ cōp. fol.
1020.

apud illam Rempublicam Imperatoris D. Caroli Regis Hiſpaniarum adi-
fol.1021 *re noluit, quia non hominum, ſed Dei fauorem quærebat:* & infra deſcribit Sanctum Virum oſtiatim victu m mendicare, noctu vero in publica Sancti Marci Platea decumbentem quieſcere. Hæc autem, cum aliàs ſtrenuè perfecerit Ignatius, nunc ſecundo à ſe diuerſum fingere minimè licet. Quæ ſi vera ſunt, inferunt vtiq;, quod Nigronus è contra. *neceſſe illi fuit quàm primum inuenire hoſpitium, conducere domunculam, &c. exigere pecuniam, &c.* hæc omnia effugium quidem ſapiunt, at non tutum.

§.16.nu. 57. Miratur vehementer, quod Ribadineræ affigatur Ignatij negaſſe miracula, ſed vehementer admodum miror, quod tribuatur Ribadineræ; quod nuſquam, & nunquam ego. Legatur proinde argumentatio mea, quam Nigronus Reſponſioni ſuæ præfixit; mea argumentatio hæc eſt; Ribadinera Ignatium excuſat, ſi quis forte temerario auſu eius ſpreuerit, improbaueritq; virtutem: eo quod miracula non patrarit, hoc inficiari non
Rib. in poteſt, quinimo ipſe Nigronus confitebitur infra. Tunc inſto,
vit. Ignat cuius fidei ſtandum eſt? ſi Ribadineræ: ergo Ignatius miracula
lib.5. ca. non fecit; ſi Orlandino ergo fidem meam non abneget. Videa-
vlt. mus nunc ſi fideliter hanc meam argumentationem repetat Nigronus; dicit igitur; *Caſtaldus à me ſciſcitatur, vtri fides habenda ſit, Petro ne qui negat Ignatium miracula patraſſe, an Orlandino, & alijs, qui affirmant?* Obſerua diuerſitatem. Aliud eſt nanq; excuſare Ignatium, ſi quis eius ſanctitatem non probauerit, eo quod miracula non fecerit, & aliud eſt negare quod miracula patraſſet; primum dixi; ſecundum à me dictum non inuenitur.

§.16.nu. 59. Cur errorem, ſeu opinionem errantem, aut falſam autumat, quam non falſus rumor, ſed maiorum meorum conſtans traditio, mihi impreſſit, confirmauitq;?

Quomodo Ignatius in noſtrorum odium ſolitudinis non præbuit aures amborum ordinum coniunctionem poſcentibus, qui ſolitudinis tanto ſtudio incenſus fuit, vt propterea perpetuo Ieroſolymis permanſiſſet, ni poſt multa anathematis quoque minis vetitum ei fuiſſet? qui etiam in ipſo Ieroſolymitano longo, & periculoſo itinere, vt dilectæ ſolitudinis dulcedine frueretur, viæ ducem, vel exoratus, reipuit, vtilius ſibi viſum

ſolita-

ſolitarium, quàm cum altero incedere. Illud autem, ea reor ex cauſa ab Ignatio prolatum poſcentibus, vt ex duobus ordinibus vnum efficeretur, maius Domini ſeruitium eſſe, vt vtraq; Religio perſeueraret in eo inſtituto, quod ille cuiq; dedit, quia Spiritu B. P. noſtri Caietani imbutus Ignatius, quod ab eo ſemel accepit ſemper retinuit. Quid me prudentem vocat, quem diuinare dicit? Patrem atque auctorem, ea quæ genuit, aut fecit, diligenter conſeruare debere obijcit mihi Nigronus Euſebij Cæſarienſis, & Amb. authoritate ſuffultus; at quid tunc ab Ignatio factum, quid ab eo genitum? nihil prorſus; nihil igitur ab eo conſeruandum, nihil penitus cuſtodiendum. Delineauerat, dicet ipſe, tunc temporis Sanctus Ignatius Societatem, quam poſtea edidit. Verum hoc, non ſuas, ſed meas tuetur partes; Siquidem non ſemel ſic ruditer picto additur, & minuitur, vel certè ipſum totum contemnitur, ac etiam laceratur. Hoc porro egiſſe Ignatium commendant plurimum, quæ ex Maffeo prolata ſunt: Nam, ſi multa, ac diligenti prece, & ieiunio explorat numinis voluntatem, ac diu perplexus (quæ ſunt ipſamet verba Maffei à Nigrono allata) ergo in illa diuturna perplexitate, in hanc potuit deuenire ſententiam, vt ſuis poſtpoſitis cogitationibus, à Caietano vero Dei ſeruo, Dei vellet intelligere voluntatem. Nec inficior, quod aſſumitur; non omnem Religionem, quamuis optimam, omnibus eſſe idoneam; inficior tamen ſequelam, noſtram propterea non potuiſſe appetere Ignatium, cui tunc noſtrum inſtitutum, Eccleſiæ Dei fructuoſum, atq; illius æui vtiliſſimum obiectabatur; vt vberrimè dictum eſt. Quæ duobus tantummodo conſtabat domicilijs, & paucis ſodalibus recentem noſtram familiam, longè, lateq; lumen ſuum diffundere non potuiſſe arbitratur Nigronus. Sed nonne potuit vnus S. Benedictus in altiſſima ſpecu recluſus ſuæ ſanctitatis fama Monachos à ſe inſtituendos adducere? Nonne potuit ab vno Veneto Cœnobio eadem noſtra familia Neapolim vſque fulgorem ſuum tranſmittere? quod noſtri Scriptores teſtantur omnes; & non poterat Venetijs Ignatio præfulgere? His profectò, quis non intelliget multum equidem, maximeq; moueri potuiſſe Ignatium Aduenam illo ſplendore, quem pluris in receſſu, quam in fronte cenſe-

Rib. lib. 1. cap. 10.

§. 17. nu. 61.

§. 17. nu. 62.

lib. 1. cap. 16.

Animad. 12. 13. §. 18. nu. 64.

Car. à vit. Caiet. pag. 215. Tufus in hiſt. Cler. Reg. c. 4.

Digitized by Google

tur fuiſſe, quine plus Angelis, quam hominibus apparebat? Quod enim Angelorum eſt, Angelico viro denegandum non eſt; qui legerat in Euangelio; *Simile eſſe Regnum Cęlorum grano ſinapis, quod quidem minimum eſt omnibus ſeminibus, cum autem creuerit maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres Cęli veniant, & habitent in ramis eius*. Quod nobis planè eueniſſe, ipſum Nigronum teſtem appello dicentem. *Non parem extitiſſe huic ſplendori, quo nunc in Italia numero Sodalium, & Cænobiorum; Nobilitate generis; Studijs Literarum; Eloquentia ſacra; Probitate vitæ; ac multitudine Epiſcoporum, quaque verſus auсta, clareſcit*. Quare ſplendorem illum priorem imminuere vanum eſt: etenim, quæ Dei ſunt, quamuis parua, maximum in dies recipiunt incrementum; Et Ignatius qui Dei ſpiritu regebatur, Dei more, in rebus dijudicandis, ſe gerebat. Quod, ſi Sanctus Gregorius Papa, per volucres Cæli in ramis arboris quieſcentes, ſanctorum animas intelligit; hoc miro modo, tunc in nobis impletum agnoſce, quando Sanctus Ignatius nobiſcum quieſcere concupiuit.

Matt. 13.

Hiſtor. diſp. §. 18. num. 64.

19. Mor. cap. 11.

Ignatium Venetijs Hoſpitem, ſua negotia curantem, incurioſum in alienis, admitto. Sed quod tunc geſſit, ſuum, non noſtrum erat: ſibi conſulebat, non nobis: Ipſe adhuc erat in mari; noſtri vero in Portu; Iactabatur ille contrarijs ventis, vt Societatis narrant Hiſtorici, quos feliciter abſoluerant iſti, tuta, tranquillaq; perfruentes requie; Ille de ſuo ordine, quem in mente ferebat, ſatis dubius, nihil certum habuit, nihil firmum, ante annum 1539. (ſi vera Orland. retulit) Iſti decennio, & amplius elapſo, laborum ſuorum fructus ſuauiſſimos ſuauiter deguſtabant, vberiores dulciſſimos in poſterum promittentes.

l. 2. n. 58.

Quia Clericorum, Monachorumque munia, etiam alij exercebant, ſpectabile non fuit, Clericos, ſecularium vitijs antea implicatos, nunc primo nitori redditos; nedum ſuas priſtinas laudabiles ſanctiones, temporum iniuria deprauatas; verum etiam Monachorum ſanctiſſimas leges in vnum congeſſiſſe; non quidem in monaſtico habitu, ſed ſub ipſo clericali amictu. Hoc certè omnium corda lætitia, & admiratione compleuit.

§. 18. nu. 65.

Animad. 14.

De me conqueritur, quia dixi ſuos, noſtros in habitu, atque

§. 18. nu. 66.

vestitu

veſtitu imitatos; hoc autem impoſſibile perſuadet, quia S. Ignatius Pariſijs degens, nullam noſtri Ordinis, Venetijs commorantis, cognitionem habere potuit. At vtrumq; non ſic vt prolatum eſt, ex Ribadineira conuincitur; ſiquidem primo loco, non in vna domo, eodemq; victu, ac veſtitu; ſed ad ſui cuiuſq; libitum ſocios vixiſſe tunc, tradit: poſtea illis, atque nobis in lucem editis, & cognitis, vtramq; Religionem, in habitu non nimis diſſimilem ſcripſit, ac propterea, quod noſtrum erat, illis attributum dicit. Verumtamen inſulſa, ac frigida protſus hæc ei lis qui ad me coarguendum iam nouerat vulgare illud dictum Clementis III. Habitus non facit Monachum. Inſignium virorum virtus, & Sanctitas, Templi nitor, & cultus, quia hæc iam delineauerat Ignatius: illis vero ſimiles nouem iam comparauerat ſocios; Ignatij mentem mouere non potuit. Imo maximè potuit; ſicut ſcriptum eſt. Omnis caro ad ſimilem ſibi coniungitur. Et Omnis homo ſimili ſui ſociabitur. *lib. 2. c. 4* *lib. 2. c. 6* §. 18. *nu.* 67. 68. *Eccleſiaſtici* 13.

Quid ſibi vult noſtratium contemplationis, ac ſolitudinis tam magnifica amplificatio? an hinc eripitur in proximis adiuuandis actuitas ei, quæ ex vtraq; compacta eſt? certè inſulſe ratiocinaretur Dominum Saluatorem nequaquam Ciuitates, & Caſtella luſtraſſe prædicantem verbum Dei, qui ſæpè ſecedebat in montes, ibiq; in Oratione Dei pernoctabat. Quis vnquam dixerit S. Franciſcum in Syriam ad Regem ſoldanum minimè nauigaſſe, quia loca aſpera, & ab hominibus ieiuncta iugiter incolebat? Negabit ne quiſquam Antonium Anacoretam Martyres in tormentis poſitos ſæpe ſæpius confirmaſſe in medio ciuitatum, quia in vaſtiſſimam Aegipti ſe contulit ſolitudinem? An ſolitudinem diſplicuiſſe Ignatio affirmare audebit, qui ex eiuſdem geſtis deprompſit ſolitudinem adamaſſe? Forſan, qui propenſiorem ad aliquid animum accepit, contrarium eligere neutiquam poterit? §. 18. *nu.* 69. 70. *Rib. in Vit. lib. 1. cap.* 10.

Quæ de paupertate ſanctiſſimè ſanciuit Ignatius, ſuiſque obſeruanda præcepit, non obſtant ſanè, quin, illis poſtpoſitis, noſtram, quæ vtique præſtantiſſima eſt, & propemodum diuina, deſiderare non potuerit, & toto cordis affectu ardenter amplecti; Siquidem perfectiſſimum viuendi genus eſt, viuere ex mendicatu, ſed ſuper hoc ali ex ſponte oblatis, Dei miſeri- §. 18. *nu.* 71.

ſeri-

ſericordiam expectando.

§.18. nu. Vno non admodum literis exculto, cæteros apprimè cul-
72. tos, non poterat deſiderare Ignatius? nunquid vos omnes Do-
ctores? omnes literis eruditi? omnes Magiſtri?

§.19. nu. Quoniam virtutes coniunctiſſimæ ſibi ſunt, & affines; nihil
74. contra conſtantiam facit, qui temporum cedit improbitati;
In Pſ.43. hinc in Macab. laude ponit Chryſ. forteſq; athletas maximè
commendat, quod *quando graue quidem bellum ingruebat, nec*
quidquam poſſent facere quod prodeſſet, ſe abſcondebant: nam hoc
quoque fecerunt Apoſtoli; non enim ſemper apparentes in media
irruebant pericula: ſed nonnunquam, & fugientes, & latentes ſece-
debant. poſtquam autem parum reſpirarunt, tanquam generoſi qui-
dam Catuli ex antris exilientes, & è latebris emergentes ſtatuerunt non
ſe amplius ſolos ſeruare: Quare nullo iure conqueri poteſt Ni-
gronus parum honorificè me cogitaſſe de Sancto Ignatio, cui
etiam eripuiſſe conſtantiam damnat, quia quæ difficillima
in conſultationem venerunt, animo verſaſſe Ignatium dixi:
Maff. lib. Cur potius Maffeum non improbat, qui diù perplexum,
7.c.16. multa, ac diligenti prece exploraſſe numinis voluntatem
deſcripſit? Si diu perplexus, ergo vanum eſt effugium in
ſocios contorquere metum, & quæ ex Orlandino tranſcripta
ſunt verba, ab Ignatio quoque prolata, negare, quod ipſa
Animad. quidem perplexio conſtare facit abunde. verum de his ſa-
10. tis.

§.20. nu. Sanctus Ignatius, quia perpetuo mendicauit idcirco ab il-
76. lo paupertatis genere, quod mendicare prohibet allici mini-
mè potuit. Hoc gratis dicitur; ideo ſine hæſitatione negatur:
quiſnam prorſus ignorat inſtitutum diuerſum ab aſſueto am-
plexandi in cuiuſlibet eſſe poteſtate? Iuuenes corporis affli-
ctationibus aſſueti in ſeculo, non ne ſpiritu Dei in mitem
aliquam Religionem induci poſſunt? E contra in delitijs enu-
triti quam plures, aſperam vitam aggrediuntur. Qui de la-
pidibus potens eſt ſuſcitare filios Abrahæ, & omnes nos ſicut
lutum in manu figuli ſumus, in manibus eius, in cuius manu
ſunt omnes fines terræ, potuit vtiq; mendicationi deditum à
mendicando auertere, quia tunc Sanctitati ſic expediebat Igna-
tij, & Caietano veluti alter Saulus, Ananiæ; ſe ſubdere, qui
non

Digitized by Google

non de mendicato, ſed de ſponte oblatis corporalibus neceſſitatibus ſatisfaciens, toto cordis affectu, temporalium ablata ſollicitudine, Domino ſeruiebat.

FALLACIARVM RECOLLECTIO ex Hiſtorica Diſputatione.

à §. 21. *vſq: ad* §. 22.

ANIMADVERSIO XXV.

NOn eſt, quod laboret Nigronus in perſcrutando quid Crimen ſignificet. Si quidem, quos citat, Chriſtianorum Magiſtri, nunquam certè contra conſtantiam, aut contra fidelitatem, nec etiam contra officium boni viri, vel in minimo peccare docuerunt, quiſquis, quod Ignatius in ſocios ſibi non aſſentientes facturus fuiſſet ipſe quoque faceret; nempe illis ſpretis nouum vitæ genus aſſumere. Quomodo autem hæc vera ſint nunc denuo differere non expedit, ne dum eadem ſæpius repetuntur, & lectoris animus nimium fatigetur, & folia inutiliter repleantur. Vtiq; quod tunc fecit Ignatius (quod quidem inficiari minime poteſt) Deo inſpirante feciſſe credendum eſt; nunquam enim vir Sanctus aggredi præſumpſiſſet, quod à Diuina voluntate recedere crediſſet: Quid ergo mirum, ſi ſocios, ad quod Deus eum impellebat contradicentes omnino ſpreuiſſet? Et nihilominus, hoc non iam dictum eſt, ac ſi profecto ſodalium ſuorum aſpernator fuiſſet, ſed ad adſtruendum, adeo procul à culpa futurum, quod tunc parabat Ignatius, vt propterea, etiam ſi Socios, quos præſtolabatur renuentes ſpreuiſſet, nulli reprehenſioni obnoxius, commendatione merito cumulandus foret. Sic de Sancto Ignatio loquendum puto.

§. 21. *nu.* 79. 80. 81. 82.

Anim. 10

Anim. 2.

Anim. 8.

Quorſum denuo ſocijs datæ fidei ſit mentio; ſi hac, nulla ratione teneri Sanctum Ignatium dignoſcitur, & confitetur, cui in nouum Ordinem intrare iure licuiſſe fatetur? ſi autem ſicut licitum, ita & expediens; cuius iudicio magis ſtandum eſt, quam Sancti viri, quem Sancto Spiritu duci negare nefas eſt?

§. 22. *nu.* 84.

eſt? nec vobis poſt tot annorum circulos ita res ſunt præſentes,
ſicut tunc Dei ſeruo obiectabantur, quem Dei voluntatis con-
ſcium, nunquid filij patri optimo denegabunt? De ſocijs,quos
tunc præſtolabatur Venetijs, parum ſibi promittere potuiſſe,
atq; omnium non leui iniuria, & ætatem, & doctrinam in eos
contorquere, inhonorificum dictu eſt: recolatur, quod ex Or-
Orl.lib.2 landino hauſit, & veritati conſonat vehementer, S. Ignatium
§.59. ab omnibus ſocijs agnoſci, & reuereri vt patrem. Si Sanctum
Ignatium venerabantur omnes, & agnoſcebant vt patrem; cer-
tum eſt filios obedire debere parentibus: parentes vero vtilia
filijs procurare: vtrumq; factum; nam Ignatius ad noſtros ac-
cedens, filijs, ſibiq; conſulebat, filios vero illi adhæſuros nulli
dubium eſt; ſi ſecus, quomodo Ignatium venerabantur om-
nes, & agnoſcebant vt patrem?

§.13.nu. Nequaquam inconſtantem, aut leuem vllo pacto ſe prodi-
86. diſſet Ignatius, quod ex paulo iam ante dictis compertum eſt
omnibus; quare vanum eſt tale commentum, & multo magis
inefficaciam ponere in Ignatio, duritiemq; in ſocijs, qua nec
ille iſtos ad ſe trahere, nec iſti ab illo trahi ſinerent. Eſto, ne-
minem promittere poſſe de facto alieno, at non pater: nec
apud noſtros illorum irritum fuiſſet votum,qui animabus lucran-
dis totos ſe manciparant, eadem quippe apud priſcos noſtros
patres erat voluntas, idem propoſitum; nec ſi poſt ſociorum
exploratam voluntatem, vel omnes, vel maior pars recuſaſſet,
Ignatius nouellum Ordinem intrans fidei violator, ſociorumq;
deſertor extitiſſet, illi vtiq: tunc ab eo ſe ſubtraxiſſent, cui in
noſtro Ordine iam firmato, atq; conſtituto aſſentire noluiſſent;
nec Patres S. Nicolai quicquam vereri poterant: homines quip-
pe ingenui, docti, ac Spiritu Ignatij imbuti, non arrogantes,
ſed humiles corde iugum Domini, noſtris ſubiecti legibus, pa-
rendo, non imperando portaſſent.

Quid ſi timuiſſent, ac propterea ſocios recuſaſſent admitte-
re? etiam tum ſine leuitatis labe, aut fidelitatis detrimento,
res ſe egiſſet: Ignatius ſiquidem, ab aliquali ſocietate in
poſteritatem non propaganda ad Religionem Apoſtolica fir-
mitate ſolidatam, à generatione in generationem permanſuram,
tranſibat.

Quis

Digitized by Google

Quis certè amplificationibus, aut catachreſibus vſus eſt vn- §.24.nu.
quam, quibus præſens redundat opella? Si nomine Societatis 89.
aliquot virorum cœtus intelligi dicitur, qui Societatem quan-
dam inter ſe conformauerant, tanquam futuræ Religionis in-
choationem, quod in Eccleſia Catholica non ambigitur vſita-
tum; hoc vtiq; anno 36. ab Ignatio, & ſocijs minime factum
eſt, quibus non niſi anno 39. de Societate in poſteritatem pro- *Orl.lib.* 2
paganda mens incidit. *num.*58.

Si aliqualem Societatem ante annum 39. coaluiſſe inter Igna- §.24.nu.
tium, & ſocios probari intenditur; non eſt quod probetur, 90.et 91.
nam vltro conceditur. Verum ad propoſitum intentum non con-
ducit.

Sicuti neq; prodeſt negare ad aures Carrafæ colloquium S. §.24.nu.
Ignatij perueniſſe, quod à maioribus noſtris conſtans, & firmum 92.
accepimus. Dicere quod ſi Carrafa ſciuiſſet, nunquam inſtitutum
Ignatij mutare attentaſſet, & hoc vanum eſt. Quid enim
prædixerat Caietanus? Hoc vtiq;, Ignatium fore Fundatorem
actuoſioris Religionis, à qua, etiam ſi actuoſa aliqua munia
pontifex ablegaſſet, noſtra actuoſior permanſiſſet; Sed quod
his omnibus maius eſt, ſuadere vult Religionem tunc eſſe in-
ceptam, quando de ea condenda nihil adhuc cogitatum fue-
rat.

Multa comptè diſponuntur in hoc paragrapho, quæ omnia §.25.nu.
ad vnum aliquod rediguntur; quod pictoris ſimilitudine 94.
exprimitur, prius quidem tabulam inchoatam, pri-
mis lineis adumbrantis; poſtmodum coloribus nobilius exor-
nantis: vlterius membra efformantis; & poſtremo imaginem
perfectam, atq; completam oculis omnium proponentis: Ve-
rum hæc omnia circa idem ſubiectum verſantur, & Platonis v.
g. cæpta imago quouſque perficiatur, idem prorſus eſt opus.
Sed quid, ſi Platonis ſpeciem incipiens quis effingere, in
alterius omnino diuerſam, nempe Ariſtotelis, protrahat
opus?

Quod pauciſſimi quidam homines, quoad ipſi vixerint pie-
tatis operibus incumbere ſtatuunt, Piæ Societatis ſimulacrum
eſt: etiam ſi aliqua, non tamen tria omnia vota emiſerint. At
quando in poſteritatem amplificare familiam, eandemque

Q pau-

paupertatis, caſtitatis, atque obedientiæ ſacris votis munire decernunt. hoc non ſimplicis Societatis, ſed religioſi cętus vera eſt effigies, atq; adeo diuerſæ ad inuicem, vt, ſicut ſupra pro-
Sup. §. nunciatum eſt, formaliter diſtinguantur. Quid autem in men-
24.*n.*92 te Ignatij inſederit, quis inueſtigauit? verumtamen certum eſt, propoſitum in mente retentum nihil operari; Et nihilominus ex his, quæ Ribadinera in vita *Ignatij* edidit, & omnes vnanimiter affirmant, certum eſt, etiam poſt marelanas illuſtrationes, nihil de Religione in eius mente inſediſſe; quippè, qui ſolus peregrinus *Ieroſolymam* petijt in ea ſuæ vitæ curſum expleturus, in Sanctorum locorum veneratione, proximiſq; iuuandis; certum eſt autem Religionem, plurimorum dicere cętum in poſteritatem propagandam, quæ omnia excludunt, quæ tunc *Ignatium* meditatum fuiſſe tradunt.

§. 25.*nu.* Haud ſanè negatur primam illam Societatem non inſtitu-
95. tam, nec ſuæ amplificationi non præextitiſſe, nec nomine *Ieſu* decoratam: negatur tamen præextitiſſe *familiam*, de cuius ſtatu diliberandum erat, deliberatio namq; non præexiſtentiam, ſed futuritionem indicat, quod clarè ſine vlla gloſa exprimunt verba in margine appoſita, (*quam conſultandi viam tenuerint Patres in Societate condenda,*) quæ non niſi futuræ aptari poſſunt, quæ ſubſecuta eſt informem illam primam Societatem, de qua etiam loquitur Orlandinus, cum retulit, omni ope retinendam, quod vt perſpicuum fiat apponam præcedentia, quæ in citato numero quinquageſimo nono appoſuit author.

Ib. 2.*nu.* „ Poſtremò, ne penitus à procuratione ſalutis publicæ inte-
59. „ rim deſiſterent, quotidianæ vitæ muneta, ita diſpertiunt, vt „ diurna quidem ſpatia, partim animorum defenſioni, partim „ rerum conſultandarum cogitationi; nocturna verò delibe- „ rationibus dicarentur: prima igitur nocte quæſitum eſt, v- „ trum Pontificis Romani iuſſu, cui ſe voti nexu pro tuendis „ animis mancipaſſent, varia loca peregrinantes oporteret, ſu- „ is quemq; rebus, muneribuſq; nullo ad alios reſpectu habi- „ to conſenſuue præeſſe; an potius locorum interuallis, corpo- „ ribuſq; diſiunctos eſſe; tamen vt animorum conſenſione, ſic „ meritorum communione coniunctos. Attende quæſo rei gra-

dus,

dus, & proceſſum; primo loco deliberandum exiſtimarunt certam quandam fundare familiam, quæ non vt inſtituerant duraret, quoad vita ſuppeteret; ergo aliam à priore diuerſam condere cogitabant, non de perficienda deliberant, quod gratis dictum, rerum proceſſus, & ordo declarat. ſecundo variantibus ſententijs, ſtatuunt amplius inſiſtendum conſulendo precibus, &c. ergo nihil vſq; tunc actum, nihil inter eos firmum. tertio ne à procuratione publicæ ſalutis interim deſiſterent, horarum ſpatia ſuis quibuſque muneribus aſſignant. Aduerbium, interim, profecto, quæ inter inſtitutam iam, & inſtituendam mediarint Societatem, demonſtrat. quarto quæritur, vtrum varia loca peregrinantibus, ſuo quiſq; operi præſit, nullo ad alios habito reſpectu; an potius, vt animorum conſenſione, ſic meritorum communione eſſe coniunctos. Et huic quæſito reſpondetur Perſpicuam rem omnibus viſam, tam ſuauem, tamq; aretam Societatem ex tanta morum, nationumq; diſſimilitudine conflatam, omni ope retinendam: loquitur ergo de vnanimi illa conſenſione, à qua non eapropter, quod varia loca Pontificis juſſu peragrarent, corporibuſq; futuri eſſent diſtracti, cenſerentur immunes; verum omni ope illam retinendam decernunt. Si ſecus, non eſt anteuertere ſed peruertere dicta.

Haud illa reuelatione, quam de ſua condenda Religione ha- §.26.nu.
buiſſe ferunt S. Ignatium, narratio mea de eiuſdem Congreſſu 97.
cum Caietano Venetijs, concidit: nec Nigronum latet, qui de *Sup.* §.
hac re copioſe diſſeruit: Nec eum fugit, *Ignatium* accepta 36.
Reuelatione Ieroſolimam ſeceſſiſſe, vt inibi, quoad vixerit
moraretur; quod quidem præfatæ Reuelationi aduerſatur ma-
gis, quam congreſſus, quem Venetijs habuit cum Caietano.

In me calamum acuit, & matrem necat. in quam criminis §.27.nu.
ſuſpitionem commouit, vitam ſcilicet occultaſſe *Ignatij* à Riba- 99.
dinera conſcriptam, quod nunquam protuli.

Omnimodam fidem Petro Ribadineræ adhibendam, nun- §.28.nu.
quam in dubium verti, quem multa addere, multa item o- 101.
mittere, in codice meo lego: verumtamen ad modicum fulcire
iuuat, quod neque in ſacro Rotæ auditorio, neq; ab Eminen-
tiſſimis Cardinalibus, Sacris Ritibus præpoſitis, probatum eſt cũ
nullam Reuelationem *Ignatio* factam probatam inueniam.

§.29.nu. 103. Iterum in Matrem culpam conuertit, quæ non peccauit; ſed ille, qui non breuiorem vitam, quam appellauit author, ſed compendium allegauit, quod & ſi ab authore, vel ab alio prodeat, copioſius eſſe non debet; idcirco namq; compendium dicitur, quia in eo breuiter ſumma operis colligitur, cui ſi aliquid addatur, proprietatis ſuæ tranſgreditur metam.

§.29.nu. 104. Porrò verba examinis anni *1606.* ad probandum vitæ breuioris verum Authorem fuiſſe Ribadineram in Curia Romana, nihil probant; non enim in tertia perſona, ſed propria teſtis deponere debet, vt fidem faciat, quam tamen ſponte, atq; libenter præſtare non recuſabo.

§.30.nu. 106. Argumentatio mea vires accipit ab eo, quod fuit, nam quot deſcribit Ribera reuelationes, tot, & non plures in Ribadinera notantur, & hoc erat aſſumptum argumentationis meæ. Reſponſio autem fundatur in eo, quod eſſe potuiſſet, quod à Nigrono in me acriter impugnatur. Sibi tamen nunc licitum facit, ſic; ſi Franciſcus Ribera, inquit, ſuperſtes fuiſſet, reuelationes alias, & hanc præcipue controuerſiam referre potuiſſet. Quare harum vtra firmior ſit, mea ſcilicet argumentatio, an ſua reſponſio; Ipſe ſit *Iudex.* Ipſe de ſe ſententiam ferat, qui Iudicium pronunciauit.

§.31.nu. 108. Non eſt meum, veſtrorum ſcriptorum acriter expugnare dicta, neque aſſerta veſtra euertere funditus: hoc decet, quos Chriſtus Ieſus elegit ſibi in hereditatem, quos charitate peperit; charitate alit; charitate vult creſcere, & peruenire ad regnum. Quare libenter admitto Orlandinum, modeſtiæ gratia, verbo, *fertur*, vſum. Cui adiumenta omnia ſubminiſtrata fuere: tabularium ſocietatis apertum: perlatæ quæcunq; ex prouincijs hiſtoriæ inſeruiebant: quæue à Ribadinera, & Maffeo prætermiſſa quia noſſe poterat, quod prædicti duo neſcierunt: præterea hunc præ omnibus cultum timide loqui Ribadineram, natura, timidum, nulla cum formidine prædictionem narraſſe; Clariſſimorum virorum teſtimonia, quæ adducuntur, non ablego; Fidem, quæ Ribadineræ à me danda requiritur, dare æquo animo non recuſo: potuiſſe *Ignatium* per *Belgium*, & *Antuerpiam* excurrere in Angliam, concedo: nec, quæ mihi acriter obieciſtis, ac ſi, nec logicam à limine ſalutaſſem, in

vos

vos vindex contorqueo. Neq; doleo calpaſſe in me, quod à vobis licitè fieri creditis, illius obliti, quod ſcriptum eſt; omnia poſtremo, quæ vindicaris in altero; tibi ipſi vehementer fugienda ſunt. Vnum, vel alterum tantummodo à vobis quæro, quod omnes vnanimiter ſine controuerſia enarratis. S. Ignatius 1534. vota nuncupauit apud Lutetiam in monte martyrum, Hieroſolymam adeundi, ibiq; quoad vixerit animarum ſaluti vacare. Item 1539. de Societate in poſteritatem propaganda conſenſerunt patres. *I.O.148. 6. Verbo Vindico.*

Hæc proculdubio tenebras aliquas in legentis animo inducunt. Quomodo poterat vouere Ignatius Hieroſolymis morari, cum ſocijs, cunctis diebus vitæ ſuæ; ſi nouem antea annis, fundandæ Religionis reuelationem acceperat? Si veram reputauit, quare vouit, quod illam inefficacem reddebat? Cur non ab initio Societatem in poſteritatem propagandam inſtituit?

FALLACIARVM RECOLLECTIO ex Hiſtorica Diſputatione.

à §.32. vſq: ad §.39.

ANIMADVERSIO XXVI.

TEmpus loquendi, & tempus tacendi inuenio apud ſapientem; & ille Angelus, qui apud Tobiam docuit Sacramentum Regis abſcondere bonum eſſe, protinus ſubdidit, opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt; ergo vtrumq; bonum, vtrumque decet Sanctos: quare pro libito erat Ignatio ſocijs reuelare, vel non reuelare, quæ à Deo acceperat, iuxta opportunitatem temporum, quæ maxime exiſtimari poteſt, quando anceps eſt animus, timoreque percuſſus. Quod ſi Deus hac de cauſa quandoq; capitibus ordinum aliqua præmonſtrauit, vt ſequenti paragrapho dicitur, quis prohibet, hæc capita poſtea ſuos quoque ſocios illorum communicatione ſolidare; ſicut dixit Dominus Petro; *ego rogaui pro te, Vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos?* Vbi Beda, *§.32. nu. 110. Eccleſ. 3. Iob. 12. Luc. 22. i cat. aur.*

quaſi dicat; ſicut ego tuam fidem, ne deficiat, orando protexi ita tu infirmiores fratres ne de uenia deſperent confortare memento; neque hæc à me excogitata congruentia impertinens adiudicari debe-
§.24.nu. tur à Nigrono, qui ſuperius argumentabatur; quia nunquam,
92. & nuſquam eius prædictionis facta eſt mentio à S. Ignatio, ad
§.32.nu. ſociorum conſolationem. Neque ratio, qua ſocijs reuelatio-
111. nem hanc retinuit Ignatius æquat animum, quoniam, inquit, *non eam poterat proponere adeo euidenter credibilem, vt illi non poſſent diſſentire; præſertim cum multæ, grauesq; difficultates, ac moræ ab eo prauiderentur, quæ fortè ſocios incredulos reddidiſſent, & deterruiſſent, adeo, vt receſſuri timerentur.* Hæc vltima verba contraria
Orl.lib.2 omnino videntur, ac prorſus aduerſa his, quæ paulo ante ex Orlan
num.59. dino dicebantur de ſocijs Ignatij. *Omnes eum venerabantur, &*
Nig.§.21 *agnoſcebant vt Patrem*, & ſuperius, *Magnam Pariſiis conſtantiam*
num.80. *in ſuſcepta Vitæ rationibus oſtenderent, vel abſente magiſtro Ignatio,*
Orl.lib.5 *inter multas difficultates, & illecebras.* Poſtremo prædicta ratione
num.92. commonefactus Ignatius viſionem celebrem de Patre æterno,
& 103. Filio Ignatium commendante ſocijs manifeſtam facere non
Nig. §. debebat, quod tamen fecit; quis hanc tunc credibilem reddi-
23.n.87 dit? certè fides, quam optimam, & ſpectatiſſimam viri ſancti-tati habebant, quam diminutam, aut infirmatam credere non debemus.

§.33.nu. Vltrò concedo, nec inficiari, quin ab inſipiente poteſt, Deum,
113. cuius natura bonitas, cuius opus miſericordia eſt, conſueuiſſe ſeruos ſuos laboribus oppreſſos, reuelationibus conſolari. Nec me latet non ſemel ſic cum Ignatio feciſſe. At quando de ſancta Ignatij Societate legitur, quod de Sacris Ordinibus Sancto-
in Vita rum Nomberti, & Romualdi exploratum habetur; quorum
S. Nom. alter ex multitudine peregrinorum vndiq; confluentium, alter
in Vita vero ſcalæ viſione, per quam homines in veſte candida deſcen-
S. Rom. debant ſuorum ordinum intellexerunt euentum? Sed eſto his ſimilibus, imò potioribus diuinis illuſtrationibus honeſtatus fuerit Ignatius; nihilominus iſtiuſmodi reuelationes haud in-
§.36.nu. ficiunt petitionem, quam noſtris feciſſe Ignatium traditio pro-
119. bat: memorare, quæ infra docentur, & vera me narraſſe comperies.

§.34.nu. Voluntaria, & nimis violenta videtur interpretatio, quæ ver-
115. bis

bis Ribadineræ affertur : nimirum implicitè Societatem deſignari per illa verba. *Quo proximis eius opera eſſet vtilior*; & teſtimonium Maffei, qui explicitè loqui dicitur, ac propterea ad corroborandam iam datam interpretationem adducitur, explicitè illam deſtruit; quippe, qui explicitè Religionem excludit; cùm ſtatuiſſe dicat. *Ignatium primam operam ſuam, qualis qualis eſſet, nequaquam intra vnius familiæ cancellos includere*. *Maff. lib. 1. c. 16.*

Et quidem ſatis dilucidè id ipſa Ribadineræ verba declarant in citato capite, quod Nigronus ſæpius legiſſe, & perlegiſſe teſtatur: in cuius initio miror non reperiſſe, quæ concluſionem, quam reperit præcedebant, & interpretationem, quam adducit euertunt funditus: ea vero operæpretium putaui hic in veritatis teſtimonium adnotare. dicit igitur. *Hiſpanias, vt diximus, reuerſus Ignatius firmus in corde ſuo ſtudijs omni conatu operam dare; quippe qui cum ſua vota fruſtrata vidiſſet, nempe Ieroſolymis commorandi donec vita ſuppeteret, confeſtim ſerum examinare cępit, quid à ſe Diuina voluntas expeteret, quidue magis Deo gratum futurum. Deniq;* (& hæc eſt Concluſio, quam perlecto capite adducit Nigronus) *ſtatuit, quo proximis eius opera eſſet vtilior, ad ſpiritus Diuini vnctionem, literarum quoq; cognitionem adiungere.* Attende omnia diligenter, quomodo ex antecedentibus haud implicitè deſignetur Societas; quandoquidem perplexus, & dubius in deliberatione profertur Ignatius; nec de Societate Ribadineram loquutum, qui Societatem ab Ignatio non dum animo conceptam commemorat: quippe qui nondum quid à ſe Deus expeteret, quidue eligeret ignorabat. Senſus igitur Concluſionis hic eſt. Ignatius, quia tunc illitteratus, & ineruditus proximos inſtruendo multa paſſus fuerat, & pluries apud Sanctæ Inquiſitionis Tribunal delatus (quæ tamen ad maiorem Dei, & ſerui ſui gloriam ceſſerunt) vt igitur, illis remotis impedimentis, proximos, ſiue ſolus, ſiue cum alijs liberius adiuuaret, quod Ignatio ſemper in more fuit. literarum cognitionem adipiſci, firmiter ſtatuit, qua Diuinarum rerum quoque cognitio acquiritur, & hoc eſt, quod inferebam ego illis verbis, quo guſtu rerum diuinarum acueretur, ſtudijs operam dediſſe. Quamobrem iudicet modo Nigronus, ſuis ne, an meis maxime ſtandum ſit verbis. *lib. 1. cap. 3.*

Non

§.35.*nu.* 117. Non ambigo S. Ignatium ſagaciſſimum donorum occultatorem extitiſſe, ſed qualis extitit oro cauſa, qua in Romano itinere reuelationem duobus ſocijs aperiret arcanam, vt animum illis; & ſtimulum adderet, & omnibus eam reticeret, quæ ad ſtabiliendam Societatem maximè conducebat, quo tempore de hoc præcipuè diſceptabant? Si ad innoteſcendum ſocijs, quo ſuaſu Societatem Ieſu appellitari voluerit, quod minime opus erat, cum pro libito, vt Societati nomen imponat, ſibi ab omnibus libera facta fuiſſet facultas. Quodq; iam vnanimi omnium conſenſu firmatum fuerat, Romani itineris celebrem illam viſionem aperuit cunctis. Satis conuincens eſt ratio; vt credatur Ignatium, qui diuina pollebat prudentia, in lucem debuiſſe proferre, quam cælitus de nouo fœtu acceperat, tum maxime difficultatibus inter eos obortis, qui omnes eum venerabantur, & cognoſcebant vt patrem, eo magis, quod præclarum illud Romani itineris viſum, cum illis, quæ ſingulis diebus in Sacro Miſſę Sacrificio, aut oratione dulciter ſentiebat in libello deſcripta manu Ignatij inuenta teſtetur Ribadinera: Et re vera illuminationes eiuſmodi, & quæ diuino afflati lumine accipiunt Sancti, niſi communicentur, ſciri minime poſſunt: ergo quæcunq; de Sancto Ignatio ad notitiam peruenerunt, alijs vt aperuerit neceſſe eſt. Quare nihil mihi probandum eſt. neque vna hirundo, aut vnus flos, ver floridum fecit, ſed lectiſſimi, atq; ornatiſſimi, ijq; permulti; quod tamen ſine detrimento taciturnitatis Ignatij dictum ſit.

lib.2.cap. 11.

§.36.*nu.* 19. *Io.6.* Si quæ dicuntur vera exiſtimantur, nec ego inficior conſueuiſſe Sanctos, etiam poſt acceptas reuelationes humano more ſe gerere; quod etiam Chriſtum Dominum feciſſe legimus, conſulentem Philippum de panibus, & ſi ſciret quod facturus eſſet: eadem quippe menſura metiri debentur, & mea: nec abſurdum putare Ignatium quia reuelationem acceperat, Caietano adhæſiſſe, cuius conſilio, quia Spiritu Sancto erat plenus, Dei facillimè ſcire poterat voluntatem. Sicuti cum B. Petro de Alcantara feciſſe legitur Sancta Tereſia cuius dubitationes omnes, quæ ipſius mentem de Reuelationibus acceptis nimium perturbauerant illius venerabilis viri conſilio continuo exploſæ fuerunt. Secus menſura illa non erit menſura Sanctuarii quam

in vit. B. Petri de Alcant.

debe-

debemus omnes profiteri,ſed obliqua,& leſbia,quam non de-
cet Sanctos.

Nemo dubitare poteſt,quin reuelato nomine, reuelata etiã fuerit Societas,vt aſſeritur:ſed mirum admodum eſt,poſt Mãreſanas,& alias illuſtrationes,ex quibus intellexerat Dei volũtatem in ea nominatione, Sanctum Ignatium non ſemel perplexum proferri, & dubium,quod vitæ genus eligeret, quidq; à ſe expeteret Deus. Inſuper, Ieroſolymam perrexiſſe,ibidem mãſurum, quoad vita ſuppeteret: Omnes verò primarios veſtros decem patres, nonniſi anno 1539. conſenſiſſe, Societatem in poſteritatem propagare. His proculdubio Nigroni euaneſcũt obiecta: quare nihil mihi notandum reſtat, multum uerò illi, cum uix credi poſſit S. Ignatium, etiam poſt Manreſanas acceptas illuſtrationes, ancipitem,& perplexum, Dei in illis præſenſiſſe uoluntatem: ne dicam nominis impoſitionem ex tunc in mente retinuiſſe infixam: & multò minùs,certò pronunciaſſe,quod adhuc ſibi fluctuanti dubium erat.

§.37. n. 121. & §.38. n. 123. Rib. li. 1 uit. c. 14 Maff. li. 1 c. 16. Rib. li. 1 vit. c. 2. Orl. li. 2 nu. 58.

Ad ea nunc tandem ſe conuertit Nigronus, quæ magis cum clariſſimis Scriptoribus Reu. Admod. P. Magiſtro Dominico Grauina, et D. Conſtantino Caetano Abbate, et S. D. N. à ſacris, literarum monimentis: doctrina, et eruditione conſpicuis, ac rerum antiquarum peritiſſimis; quam mecum agere debebat, qui nihil de pijs Ignatii inſtrumentis dixeram. Porrò ſpiritualia exercitia quibus myſticas animarũ Vineas excolebat Ignatius: ad alienam uoluntatem ui̇cturus, cæteris, maiori cum utilitate communicare poterat. Obedientia namq; et humilitas, præcipua ſpiritualis uitæ præſidia, et ornamenta, aptiorẽ, et promptiorem hominem reddunt. In noſtra eò magis familia, quæ animarum curandarum ſollicita, à ſollicitudinibus, et curis ſecularibus ſemota, uberiores promittebat fructus: non timens, quin ſuperfluæ curæ, tanquam ſpinæ ſuffocaſſent ſemẽtem patris familias: quare nec hoc armorum genus, quod multos iam annos tractauerat, illi relinquendum foret: nec quicquam cum ſuperioribus paciſcendum.

§. 39. n. 125.

R   Quid

QVID SENTIENDVM DE EO, quod Sanctum Ignatium opinatum eſſe, ferunt, de Ordine Theatinorum.

In Hiſt. diſp. §. 17. nu. 62.

ANIMADVERSIO XXVII.

QVamquam nulla prorſus ratio moneat, quod in noſtram
Religionem à S. Sede iam confirmatã, infauſtè, ne dicã
infeſtè dixerat Nigronus; nempe S. Ignatium effatum,
Anima. 9. noſtrum Ordinem diù non duraturum: & earum quælibet,
quas ſupra attulimus, ab hac errante opinione auertant omnes.
Ipſa quoq. S. Ignatii eximia virtus manifeſtum hoc faciat, cui
laus fuit inſignis, omnia ad maiorem Dei referre gloriam. Hinc
Regulam traditurus, ab his profectò verbis exorſus eſt. AD
MAIOREM DEI GLORIAM. Quamobrem nequaquam
in dubium verti poſſe cenſeo, eum, qui maiorem Dei
gloriam in agendis quærebat ſemper, nulla nunc ratione maiori
ſua gloria Deum eſpoliare voluiſſe: qui ſua bonitate, non
Pſ. 146. hominum ſagacitate, homines paſcit. *Magnus Dominus noſter*
(cecinit Dauid) *& magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt
numerus.* & poſt pauca, *Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis
coruorum inuocantibus eum.* quomodo inuocant eum? neceſſitate,
non importunitate: ſi pullos coruorum, quando eos
parentes derelinquunt, cæli rore Deus paſcit; nobis ne deeſſe
poterit, qui reliquimus omnia propter ipſum? abſit. Audi fideiuſſorem:
*Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius:, vt eruat à morte animas
eorum, & alat eos in fame.* Ex induſtria iterum nunc nihilominus
Serm. 9. de Ieiu. ſep. mẽ. in hac vltima animaduerſione, id euertere debeo, quo ad
vltimum vſq. ille conatus eſt eam inficere. Dicamq. quod S.
Leo Papa: *Quod dudum, & traditio decreuit, & conſuetudo firmauit, nec eruditio ignorat, Pietas non prætermittat.* & ſic firmiter
hom. 29. in Euã. in memoria perceptum, leuiter non recedat. *Idcirco* (inquit S.
Gregorius Magnus) *Dominus tunc diſcipulos increpauit, cum
eos corporaliter reliquit: vt verba, quæ recedens diceret, in corde*

audien-

audientium impreſſa remanerent: Et certè quis filius, & verè filius Matris ſuæ, non atramento, verùm, & ſanguine non pugnabit alacriter? Parcat mihi Nigronus, & qui Nigronum excuſare voluerit; etiam ſi illius opinionis extitiſſet Ignatius, eius tamen dictum in medium adducere non debebat, quod ſanè plurimum ſibi obeſt: prodeſt autem nihil. Enimuerò etiam ſi contentiosè dixerit illius certò mentis fuiſſe Ignatium, vt noſtrũ inſtitutum non admodum duraturum ſibi perſuaſerit: hinc tamen, nec mihi profectò, nec diſcreto cuipiam ſuadebit vnquã, idcirco ad noſtra tranſire noluiſſe: imò ea propter tranſire voluiſſe ſuadebit quam maximè, ad ſanctè, & humiliter retractandum, quod non firmiter affirmauerat. Nihil namq. prorſus officit ſanctitati, eiq. præcellẽti, ac maximè, ſi ſanctus quis, & electus Dei aliquid adhuc viuens ſenſerit, dixerit, aut fecerit, quod correctione dignum ſit: Hoc quippe (vt rectè Beda) ſolius *In Luc.*
Beatiſſimæ Virginis priuilegium fuit: nec ipſis Eccleſiæ ſanctæ 22.
columnis, Apoſtolis, inquam, conceſſum, etiam poſt acceptum Spiritum ſanctum; quare de Petro eorum Principe hæc coapo- *Gal. 2.*
ſtolus eius Paulus litteris conſignauit. *Cum autem veniſſet Ce-* *1. Io. 1.*
phas Anthiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. & *In c. 10.*
Ioannes. *Si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipſos ſedu-* *Iud.*
cimus, & veritas in nobis non eſt. Quod ad iam relatum aſtru- *a Adue.*
endum aſſumptum refert Lyranus his verbis. *Nec Apoſtoli lon-* *Pelag.*
ge perfectiores, & maximè poſt receptionem Spiritus ſancti, non di- *b ho. de*
citur immunes a peccato veniali. Quod & de omnibus iuſtis, quã- *pœniten.*
uis eximia ſanctitate præditis multò magis ſentiunt omnes. *c lib. 3.*
Hieronymus *a*, Baſilius *b*, Cyprianus *c*, Hilarius *d*, Ambro- *ad Quir.*
ſius *e*, Gregorius *f*, & Auguſtinus *g* frequenter, nouiſſimè ve- *c. 54.*
rò Concilium Tridentinum. *d In pſ.*

Quamobrem ſi Sanctus Ignatius illius mentis fuit, vt noſtrũ *118.*
inſtitutum non duraturum crediderit ob nimiam ſolitudinem, *e in Luc.*
qua hominum beneuolentia, & benignitas excitari non pote- *c. 5.*
rat, qui aliqua vtilitate alliciuntur; quia hoc in Sanctæ Sedis *f 18. mo-*
vergit defectum, Regulam approbantis, quæ diù conſiſtere non *ral. c. 14*
poſſet, & in Chriſti Domini conſilia, Potentiam, & Prouiden- *g ſeſ. 6.*
tiam: quaſi hominum ægeret induſtria, vt homines diuina ſe *can. 23.*
ctantes conſilia paſceret, qui ſolius voluntatis imperio *produ-* *Pſ. 146.*

cit in montibus ſanum, & herbam ſeruituti hominum : magis no-
bis tuendæ ſunt partes Domini quam ſerui. eſt enim ut Paulus
Ad Ro. docet, *Deus verax, omnis autem homo mendax*. ideſt ex Iuſtinia-
3. no ueſtro. *ut errare, labi ac decipi poſſe eius veluti propria affectio*
In ep. *videatur*. quod de Deo ſentire, nec poſſumus, nec debemus.
adRo.3. Nunquid ille, qui uocat ea, quæ non ſunt, tãquam ea, quæ ſunt,
Ro 4. ijs, quæ ſunt opus habet, ut cibum paret ijs, qui ſui amore, ac ſi
non eſſent uiuere uolunt in mundo? nunquid ex ciborum ca-
Col. 3. rentia uita deficere poteſt iis, *qui mortui ſunt, & vita eorum*
abſcondita eſt cum Chriſto in Deo? Nũquid exhauſtus eſt the-
Dan. 14 ſaurus indeficiens diuinæ omnipotentiæ: et, qui Danielem pa-
ſcere potuit in lacu leonum, nec Darii Regis æguit promptua-
riis: haud cibare potuit ſeruos ſuos, à mundo elongatos, ſuo
ſancto ſeruitio incumbentes? quomodo autem ægere poteſt,
Pſ. 15. qui nullius opibus æget; dicente Dauide: *Dixi Domino, Deus*
Pſ 49. *meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges*. et alibi. *Si eſu-*
riero non dicam tibi, meus eſt enim Orbis terræ, & plenitudo eius.
Qui ægeſtate quoq. et inopia ingentes nobis parat diuitiarũ
2. Cor. copias, et theſauros. Audi Apoſtolum. *Propter vos egenus fa-*
ctus eſt, cum eſſet diues: vt illius inopia diuites eſſetis. Certe hanc
Gloſſam nunquam legi in ſcripturis, quæ hic apponitur; nem-
pe, *vitæ aſperitas, aut inſignis aliqua vtilitas*: ſed abſolute pronũ-
Pſ. 49. ciatur. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis*
me. ubi Auguſtinus *non enim præſumere debes de viribus tuis: om-*
nia auxilia tua mendacia ſunt, me inuoca in die tribulationis, eruã
de S. I- *te, & glorificabis me*. *Omnes intelligite* (clamat Chryſoſt.)
gnat. t. 5 *non ab hominibus pendemus, ſed in cælis radices agimus: Deus eſt,*
qui vbique nos tuetur. Quod pluries noſtris accidiſſe perſpi-
In uit. cuum eſt. Sic potiſſimum legitur de Venerabili Patre noſtro
eius. D. Ioanne Montorſano, cui cum hora prandij nunciatum eſſet,
nihil illo mane præſtitum, aut paratum, vt fratres reficeren-
tur; pulſate, inquit, campanulam, qua ad orationem conuo-
centur omnes, quibus orantibus, immiſit Deus cibos, quibus
paſcerentur ſerui ſui, ſperantes in ſe, non autem in hominum
beneuolentia, & induſtria, qui vitæ aſperitate, aut inſigni ali-
qua vtilitate incitantur ad eis benefaciendum. Hinc Dauid ab-
Pſ. 36. ſolutè canit, ſine gloſſa. *Spera in Domino, & fac bonitatem, &*
inha-

Digitized by Google

inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius. Vbi Genebrardus iuxta litteram: *Solidè, firmiter, ac verè paſceris: Veritas firmitatem ſignificat.* Et Ianſenius ibidem ad litteram: *Vbi te Domino commiſeris, vt virtuti incumbas, de reliquis ſecurus.* Et Dominus in Euangelio, non hominum induſtriæ; non beneficijs, quibus homines alliciantur, ſuorum nutritionem tribuit, ſed Diuinæ munificentiæ, qui dat omnibus affluenter, cui (vt Petrus ait) 1.Pet.5.
eſt cura de nobis. Dicit autem: Quærite ergo primum Regnũ Math. 6
Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Hinc Chryſoſt. *Niſi enim voluiſſet conſeruari quod erat, non creaſſet,* Citatus
quod autem ſic creauit, vt per eſcam ſeruetur, neceſſe eſt vt det ei a S.Th.
eſcam, quandiu vult eſſe quod fecit. Hieron. *Qui Maiora præſtitit.i animam & corpus, vtique & minora præſtabit, eſcam ſcilicet,* in Cat.
& veſtimentum. Beda venerabilis: *Si minutiſſima,* inquit, lib.4.in
animalia, & quæ quolibet feruntur uolatilia Deus obliuiſci non Luc cap
poteſt, uos qui ad imaginem facti eſtis Creatoris, non debetis ti- 12.
mere, quia qui irrationabilia animalia gubernat, rationabilia curare non deſtitit. Et alibi: *Nolite timere, ne propter Regnum* lib.4.c.
Dei militantibus, huius uitæ neceſſaria deſint. Quare ſi S.Igna- 54.in
tius illas conditiones, quas modò enumerauimus appoſuit, ſi- Luc.12.
ne ulla dubitatione credendum puto, ad nos tranſire uoluiſſe, ut opere corrigeret in quod uerbo offenderat, & poſteris ſanctæ humilitatis præberet exemplum uir ſanè ſanctiſſimus. Deſinat ergo Nigronus, inter Euangelici uiri dicta, ea recenſere, quæ nimium ab Euangelio diſtant; magis autem humili corde confiteatur, quæ humilis geſſit Ignatius, pro quibus ſupra æthereos aulæ cæleſtis ſinus meruit cum Angelis coronari.

MOR

Digitized by Google

HORTATIO AD CHARITATEM.

MVlta poſſem attexere,quæ libenter omitto,vt omnia noſtra in charitate fiant. Si vel per ſomnium excogitare potuiſſem veſtram querimoniam, veſtrum dolorem : credite mihi quæſo,ab illa narratione vtiq. abſtinuiſſem : maiorem B. Patris mei gloriam arbitratus, pacem fouere vobiſcum, quod & libentiſſimè feci,poſtquam vobis diſplicere cognoui: nam in vita Pauli Papæ IV.eos,qui inter S.Ignatium,& illum Pontificem de hoc fuerunt ſermones non retuli. Poſtquam ab acri Nigroni ſcripto me defendi,quod omni iure facere debebam, iterum ſcripſere,& veſtri;nec propterea ipſe reſcripſi : imò ſilui patienter: Poſteriores fuiſſe ſufficere vobis poterat : noluiſtis; Sed poſthumum Nigroni vulgaſtis opuſculum,opuſculum dicam,an famoſum libellum? reſpondi : vos me coegiſtis : voluiſtis,& viui,& mortui,& è terra,& ab inferis belligerare. Iniuiſtis fœdus cum morte: manes,& vmbras conuocaſtis ad pugnam.Calamis pugnauimus,charitate non violata,pacis vinculo minimè diſſoluto.S.Ignatiũ ad nos voluiſſe tranſire teſtificor coram Deo,& Chriſto Ieſu,qui non mentior, à primo mei in Religionẽ ingreſſu à maioribus noſtris accepi, à quibus ex tũc, vſq. nunc ad nos hæc traditio incorrupta deuenit. Diſplicet vobis:diſplicet,& mihi ſcripſiſſe: non quod verum non ſit, ſed quia vos,verum non eſſe velletis. Dicam, quod Abramus ad Loth : ne quæſo ſit iurgium inter me,& te, inter paſtores meos,& paſtores tuos; fratres enim ſumus. Non ceſſiſtis nobis fratribus veſtris natu maioribus. nos vobis parcimus, fratribus noſtris minoribus; ſimul,& cedimus ſupergredientes abũdantia charitatis,commune illud adagium,cede maiori,& parce minori: non feciſtis,quod veſtrum erat; facimus nos,quod & noſtrum,& veſtrum eſt. Deus pacis,& dilectionis ſit cum omnibus vobis fratres. Amen.

FINIS.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA FILOSOFIA Y LETRAS

Digitized by Google

ERRATA SIC CORRIGANTVR.

Primus numerus Folium, ſecundus uerò Verſum.

fol 27 ---- 21 - plendā prebendā

Folio 31. *Verſu* 19. *Spinas* *Spicas*

32. 20. *in in Borbonica* *in Borbonica*

33. 12. *inter Ioannem, Petrum* *inter* Ioannem *Petrum*

35. 9. *proponenda* *præponenda* 36. 12. Nozzes *Hozzes*

36. 19. *ſubditum* *ſubditus* 36. 31. *ſeuiore* *ſeueriore*

37. 25. *ibi Ambroſius referat* *Ambroſius referat*

38. 11. *frequenter* *frequentem* 41. 36. Hic *adde* *His adde*

49. 22. *praſcripto* *praſcripſerat* 55. 3. *Grauiza* *Grauina*

58. *vlt* *Pratioſum Theſaurum* *Pratioſus Theſaurus*

72. 36. *enutricet* *enutriret* 81. 14. *iniurijs* *incurijs*

81. 27. *in cogitatis* *a cogitatis* 81. 30. *reſpondum* *reſponſum*

83. 28. *adhibitis* *adhibetis* 85. 3. *in ijs* *ijs*

85. 25. *euentum* *euentus* 85. 32. *vna* *naua*

87. 32. *amiɛtis* *amiɛti* 89. 7. *elatbro* *elatro*

89. 24. *idem* *id eſt* 91. 25. *aptauit* *optauit*

92. *vlt.* *vita : duraret* *vita duraret*

96. 31. *minore* *minora* 96. *penult.* Guldiaconio Guidiccionio

97. 5. *a Viris, Principibus* *a viris principibus*

99. 10. *pemittit, oſtinatius quam* *permittit oſtinatius, quem*

100. 19. *agas : alias, &* *agas alias; &* 101. 18. *eis* *ei*

102. 34. *reſediſſe* *rexiſſe* 103. 1. *aſſumit* *aſſumat*

105. 8. Lucernam Lucenam 107. 26. *perſpipue* *perſpicuè*

110. 23 *ſcribendus* *ſcribendum* 114. *penult. iniuria* *incuria*

115. 25. *Verone migraſſe* Veronam *migraſſe*

119. 19. *aɛtuitas* *aɛtiuitas* 121. 8. *vſq; ad* §. 22. *vſq; ad* §. 32.

[illegible]

BIBLIOTECA [illegible] FILOS. Y LETRAS MADRID

Digitized by Google